HB
535
C67

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00463151 1

30-3-7.

TRACTATUS
DE MUTUO ET USURA
ET DE CONTRACTIBUS

QUI CUM MUTUO FREQUENTIUS UNIUNTUR, VEL IN IPSUM ALIQUANDO CERTIS CONDITIONIBUS ADJECTIS CONVERTUNTUR

OPUSCULUM

AD MODUM UTILE NON MODO CONFESSARIIS, SED ETIAM

ADVOCATIS, NOTARIIS, ET MERCATORIBUS
Ad Contractus labe Usuræ Infectos cognoscendos

AD FORMAM CATHECHISMI DISPOSITUM

A R. D. EUDALDO CORRIOLI J. C.
Doctore in Regia Cathalonia Audientia, olim Advocato nunc Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Barcinonensis Presbitero.

PRODIIT IN LUCEM IMPENSIS, ET CURA

HONORATI CORRIOLIS
Negotiatoris Villæ S. Joannis de Abbatissis Diæcesis Vicensis.

ROMÆ MDCCXCII.

TYPIS SALVATORIS BALDASSARI BIBLIOPOLÆ.

PRÆSIDIBUS ANNUENTIBUS.

HB
535
C67

PRÆFATIO.

HUnc brevem de Mutuo, & Usura Tractatum concinnavi, ut Sacerdotibus, qui audiendis Fidelium Confessionibus incumbunt, præsertim in hac Cathaloniæ Provincia possem aliquantulum adjumento esse. Conatus sum hanc implexam usurarum materiam pertractare, ea qua potui Soliditate, perspicuitate, & brevitate; nihil tamen omittens earum rerum, quæ ad dignoscendam naturam contractuum fræquentius occurrentium conducere possunt. Licet plures A. A. hanc usurarum materiam pertranctantes tum Antiquos, tum Recentiores attente perlegerim, paucos tamen citavi, nec in repettendis opinionibus eorum, quos Sacris Canonibus parum consentanea hac in re docere reperii, diutius immoravi, contentus veritatem simpliciter Lectoribus meis proponere, & explanare, eamque ita confirmare tunc Sacræ Scripturæ Auctoritate, tum Sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum apertis Decisionibus, tum Sanctorum Doctorum Sententiis, tum denique invictis argumentis, ex his purissimis Fontibus

haustis ut conclusiones, quas in hoc Opusculo statuo, certæ mihi sint, & extra dubitationis aleam omnino positæ. Leges etiam Civiles ad probationem dictarum assertionum adduco, tum Juris communis Romanorum, tum a variis Hispaniarum Regibus in hac usurarum materia editas, ut nostrorum Catholicorum Regum eximia pietas omnibus innotescat, & Lectores sciant, harum legum vi illicitum esse usum aliquorum titulorum, & contractuum, de quorum honestate, solo jure naturali spectato, adhuc D. D. disputant. Licet enim Principes sua auctoritate non possint usuras honestate, possunt tamen contractus, & conventiones de usura suspectas, & quibus usuræ facile possunt palliari in suis ditionibus, propositis pœnis, ob publicum bonum prohibere. quæ leges ab omnibus subditis in conscientia observari debent; cum Teste Apostolo, *obedire oporteat Principibus non solum propter iram sed etiam propter conscientiam*.

Si ergo (Sapientes Lectores) aliquid utilitatis ex hoc opusculo percipitis, si aliquod Lumen hoc meo exiguo labore vobis attuli ad usuræ vitium facilius dignoscendum, cum sub aliorum contractuum veluti palio delitescit, Deo donorum omnium fonti gratias quammaximas agite, meique jam senescentis in vestris precibus, & Sacro-Sanctis Sacrificiis memores estote, ut misericordiarum Pater felicem ex hac vita exitum pro sua infinita pietate impertiri dignetur. ut cum vincula car-

nis

nis exuerim gloriam Regni Cælestis illico per Christi merita valeam adipisci. Unum postremo adjiciam, quod tamen caput est cæterorum, me sci licet quecumque in hoc tractatu, & alibi scripsi irreformabili judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Fidelium Matris, & Magistre humillime subjicere paratus corrigere, & emendare quecumque corrigenda, & emendanda decreverit O. ad M. Dei gloriam. Amen.

INDEX

RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

VEra, & *genuina mutui definitio traditur, simulque exponitur, in quibus hujus contractus essentia sita est.* a Num. 1. ad 4.

Quid sit mutuum paliatum explicatur, ac certa regula assignatur, qua hic contractus facillime dignosci possit quantumvis aliorum contractuum palio sit contectus. a Num. 4. ad 7.

Ex Benedicti XIV. Enciclica, quæ incipit Vix pervenit *ostenditur usuram esse, quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur, licet minimum sit, & exigatur ex mutuo dato ad negotiationem Mercatoribus, qui negotiatione acceptam mutuo pecuniam augeant, ingensque ex ea lucrum reportent.* a Num. 8. ad 17.

Quid in hac re Hispaniæ Leges statuant. a Nu. 18. ad 19.

Principes suo alto dominio non possunt Leges Divinas, quascumque usuras prohibentes debito effectu in suis ditionibus defraudare, neque efficere sive directe, sive indirecte, quod suis subditis licitum sit lucrum in aliquo casu ex mutuo exigere. a Num. 20. ad 35.

De Titulis, qui cum mutuo concurrere possunt, & præcipue de damno emergente, lucro cessante, & periculo amittendæ sortis. a Num. 36. ad 39.

Dam-

Damnum emergens, quando revera cum mutuo concurrit, justum titulum præbet Mutuanti ad exigendum a mutuario aliquid ultra sortem mutuo datam lucrum vero cessans hac virtute, non pollet nisi talibus societur conditionibus ut ad damnum emergens commode reduci possit a Num. 37. ad 46.

Periculum amittendæ sortis mutuo datæ si periculum facti sit ex insolventia mutuatarii proveniens, non præbet justum titulum mutuanti ad aliquid ultra sortem mutuo datam a mutuatario exigendum. a Num. 47. ad 52.

Periculum amitendæ sortis mutuo datæ, si periculum juris sit, lex eo procedens, quod mutuans particulari conventione in se asumpserit aliqua ex periculis, quibus sors tradita amitti potest, quæ ex natura contractus mutui ad mutuatarium expectant justum titulum mutuanti præstat ad aliquid ultra sortem mutuo datam a mutuatario exigendum. a Num. 53. ad 55.

Verus, & genuinus sensus Cap. Naviganti *ut de usuris exponitur, simulque demonstratur lectionem hujus textus, ut in juris corpore habetur, adeo certe, & indubitanter legitimam esse, nihilque in ea deficere ut contrariam aliquorum opinionem indoctam temeritatem apellet Celebris Cardinalis de Luca de usura, & inter* p. 1. Disc. 3. Num. 50. a Num. 56. ad 58.

Emptionis, & venditionis contractus ex sua natura diversus est a mutui contractu quantumvis venditio sub pacto de retrovendendo contrahatur, in pluribus tamen casibus, qui indicantur hic contractus mutuum explicitum, vel implicitum admixtum habet: in

aliquibus vero suam vexationis naturam exuit, & in mutuum prorsus transmutatur. a Num. 64. ad 79.

Genuina locationis, & conductionis deffinitio traditur: hunc contractum a mutui contractu diversum esse ostenditur, & simul pacta indicantur quorum vi posset cum fœnore conjungi, vel in fœnus ipsum transmutari. a Num. 80. ad 86.

Quid sit depositum, & quando amissa sua propria natura contractus mutui naturam assumit. a Num. 86. ad 88.

Quid sit pignoris contractus, & quando in mutui fœneratitii contractum convertatur. a N. 89. ad 94.

Quid sit societatis contractus perspicue declaratur adducta deffinitione quam tradit Benedic. XIV. quæ accurate naturam hujus contractus declarat, & in quo a contructu mutui essentialiter differat. a Num. 95. ad 97.

De pactis, quæ Societati adjici possunt, & quid censendum de contractu Societatis, quem duplicem appellant. Num. 98.

Invictis argumentis demonstratur pacta securitatis, sortis, & certi lucri Societati adjecta cum socii in eam conveniunt, ipsam in contractum mutui fœneratitii revera convertere. a Num. 99. ad 103.

Doctrina Benedic. XIV. ostenditur quid sit contractus trinus, & simul aliqui casus indicantur, in quibus lucrum ex pecunia in societatem collata ab aliquo ex sociis perceptum ope horum trium contractum, licitum, & ab usura prorsus immune esset. a Num. 104. ad 106.

Quan-

Quantumvis duo posteriores contractus securitates sortis, & certi lucri inirentur societate contracta absque ullo respectu ad illos adhuc tamen usuræ vehementer suspecti fovent, cum Societas solum inter duos contracta esset, scilicet inter conferentem pecuniam, & negotiationem, vel Artificem eam accipientem; qua de causa Sixtus V. justissime ut usurarios prohibuit in sua constitutione, quæ incipit. Detestabilis avaritia. Num. 107.

Tres contractus, ex quibus trinus contractus coalescit non possunt practice simul iniri a Sociis eæ independentia, & intentione, quam præcipue horum contractum deffensores expostulant ad hoc, ut hi contractus in mutuum fæneratitium non degenerent. a Num. 108. ad 109.

Quid sit in hac re Benedic. XIV. genuina sententia. a Num. 111 ad 106.

Cambii maritimi deffinitio traditur, simulque ostenditur hunc contractum posse iniri tum per viam mutui tum per viam illius Societatis, quam duplicem vocant. a Num. 118. ad 121.

Quid censendum de cambio maritimo cum per viam Societatis initur, & quid de eo censendum cum initur per viam mutui.. a Num. 122. ad 125.

Invictis argumentis demonstratur, quod pactum illud, quo cambium maritimum accipiens ræjicit in dantem pericula, quibus sors cambio maritimo tradita, exposita est, quousque navis ad designatum Portum Salva pervenerit, non mutat contractus naturam, nec illum a mutuo facit degenerare, & in alium diverse naturæ

convertere in quo injustitia reperiri possit, minime vero usura a Num. 125. ad 129.

Evidenti ratione demonstratur cambia maritima, quæ hodie in usu sunt non modo veros esse mutui contractus, sed etiam usuram gravissimam, & crudelem continere. Num. 130.

Quid sit contractus; quem vitæ securitatem appellant, & quid de eo sit censendum: quid sit census, & quommodo dividatur: quid de censu vitalitio sit censendum. Num. 133.

Census realis consignativus, si perpetuus sit ab usura erit immunis; si vero sit redimibilis ex parte Emptoris fœnaratius erit. a Num. 144. ad 145.

Invictis argumentis demonstratur Censum personalem, vel mixtum solo jure naturæ expectato fœnerativum esse non modo quando est redimibilis ex parte emptoris; sed etiam quando ex hac parte est perpetuus, & irredimibilis. a Num. 146. ad 147.

Quid de hoc censu S. Pius V. statuerit in sua constitutione, quæ incipit: Cum onus *& utrum hæc constitutio sit in Hispania recepta quoad articulum, in quo statuit, quod census ponatur in bonis stabilibus fructiferis determinatis.* a Num. 148. ad 150.

Quid in hac re censeat Benedic. XIV. Num. 157.

Vidue, quæ in Cathalonia vigore costitutionis, quæ incipit: Hæc Nostra *suos faciunt fructus ex bonis mariti defuncti resultantes, quousque in creditis dotalibus sint satisfactæ ab usura immunes sunt.* Num. 158.

Quid sit censendum de interesse judiciali Num. 159.

Mon-

Montes Pietatis ab usura immunes declaravit Leo X. in Concilio Lateranensi. Administratores autem horum montium non possunt pecuniam ad exiguum lucrum recipere, ut majori indigentium numero subveniant, quin in usuram consentiant, & in hoc peccato complices fiant. a Num. 160. ad 161.

Indicantur quinam fœnori cooperantur, & quæ nam sit eorum obligatio. Num. 162. & 163.

Invictis argumentis probatur omnes, & quascumque usuras, sive Terrestres, sive maritimas a Negotiatoribus, sive Navicularíis, aut Nautis, & Vectoribus exactas Commercio valde officere & Negotiatorum, & Navigantium familias ad certam inopiam, & ruinam vehementer impellere. Num. 164.

Qui ex contractu usurario lucrum perceperunt non possunt illud retinere eo nomine, quod poterant alium contractum lucrativum inire. Num. 165.

Pœnæ ab Ecclesia in Usurarios latæ indicantur. Num. 166.

Tractatus conclusio. Num. 167.

Appendix Bullarum, & Legum, quæ in hoc opusculo citantur.

TRACTATUS
DE MUTUO
ET USURA.

Interrogatio. Quid est Mutuum.

Responsio. Est contractus, quo id agitur, ut res, quæ pondere numero, & mensura constant, alicui dentur ea lege, ut tantundem reddat reposcenti Creditori. Hæc mutui definitio, ex jure Civili deprompta naturam hujus contractus, & quid in eo contrahentes agant accurate declarat Benedictus XIV. in Enciclica *Vix pervenit*, anno 1745. expedita etsi explicitam mutui definitionem non tradat, canone tamen secundo, & tertio testatur. *Quod ex sua natura tantumdem dumtaxat reddi postulat quantum receptum est*. quibus verbis non obscure innuit, mutuum contractum esse in quo certa quantitas traditur; ut postea æqualis recipiatur sicuti in supra tradita definitione dictum est.

Int. Quænam potissimum in hac mutui definitione sunt animadvertenda?

Res. 2. Tria potissimum. Primo, quod materia hujus contractus sunt tantumodo res, quæ pondere numero, & mensura constant; ut vinum, triticum, oleum, pæcunia, & similia, quibus uti non possumus salva earum substantia, sed earum usus in consumptione, vel alienatione ipsarum consistit. Secundo animadvertendus est, finis ad quem res mutuatario traduntur,

tur, qui est, ut iisdem utatur, ipsas consumando, vel in aliorum dominium, venditione, aut alio modo eas transferendo. Tertio animadvertendum est, pactum, & onus, quo res mutuatario traduntur, nempe reddendi mutuanti, non easdem res acceptas in suis corporibus, sed alias, quæ in specie, pondere numero, & qualitate sint receptis æquales, ut has reddendo, ipsas quas receperat restituere videatur.

Int. Tria hæc sunt ne partes essentiales mutui, quæ illud constituant proprium, & peculiarem contractum a cæteris distinctum?

Res. 8 Ita sane. Prima enim ex tribus conditionibus assignatis distinguit mutuum a locatione, & commodato, qui contractus versantur in rebus, quibus utimur salva earum substantia, hoc est, quin destruantur, vel alienentur. Atque ita utimur domibus, equis, vasis argenteis, supellectili, & similibus, quæ locantur, vel commodantur, ut commodatarii, vel conductores ipsis utantur, easdemque in propriis corporibus, finito tempore in contractu assignato, suis dominis reddant. Secunda conditio, mutuum destinguit a deposito, in quo depositarius non potest uti pecunia, tritico, & aliis, quæ in depositum recipit: Sed hæc omnia custodire debet, ac in propriis corporibus, ut dicitur, reddere postea deponenti. Tertia tandem conditio mutuum distinguit a donatione, qua res traditur donatario absque aliquo onere: itemque a censu reali perpetuo, ab emptione, & venditione, a societate, & aliis quamplurimis contractibus, ut in decursu dicemus.

Int. Tria hæc, quæ mutui essentiam constituunt reperiuntur ne semper in mutuo, clare atque perspicue?

Res. 4 In mutuo explicito, explicite pariter hæc tria reperiuntur. Verumtamen in mutuo paliato, etsi reperiantur, non apparent, sed obscure latent.

In.

Int. Quid est mutuum pa-
liatum?

Res. Est mutuum aliorum
5 contractuum veluti pallio
obtectum.

Int. Quinam contractus
possunt mutuum veluti
pallio obtegere?

Res. Contractus emptionis,
6 & venditionis, locatio-
nis, census, societatis,
& alii fere omnes.

Int. Quo pacto dignosci po-
test, hujusmodi contra-
ctus, contractum mutui
contegere, & occultare.

Res. Cognosci potest, ac-
7 curate perpendendo con-
ditiones, & pacta, ex
quibus tota conventio
coalescit, & considerando an ex omnium unione conventio resultet, in qua inveniantur tria illa, quæ numero 2. diximus *mutui* essentiam constituere.

Int. Est ne licitus mutui
contractus?

Res. Et licitus, & hone-
8 stus est, dummodo ob-
serventur leges, quas in
ipso justitia præscribit.

Int. Quænam sunt istæ le-
ges, quæ in mutuo de-
bent observari, ut ju-
stus, & honestus con-
tractus evadat?

Res. Quod quantitas, quæ
9 mutuo datur, gratuito
omnino detur; ita ut
mutuator non exigat a
mutuatario ratione mu-
tui majorem quantita-
tem, quam ipsi revera
dedit.

Int. Si mutuans ratione
mutui amplius exigit a
mutuatario, quam ipsi
revera dedit, & utilita-
tem, seu lucrum allquod
ex contractu percipere
intendit, erit tunc mu-
tuum licitus, & justus
contractus?

Res. Minime; sed potius
10 erit contractus illicitus,
& injustus.

Int. Quod peccatum com-
mittit, qui hoc modo
pecuniam mutuo dat?

Res. Illud peccatum, quod
11. usura vocatur.

Int. Est ne hoc certum,
& dubio carens?

Res. Est adeo certum, &
12. indubitatum, ut inter
veritates Catholicas ab
Ecclesia Fidelibus in hac
materia usurarum pro-
positas a Benedicto XIV.
recenseatur in supradi-
cta Enciclica *Vix per-
venit*; ubi Canone pri-
mo hæc habet: „ Pec-
„ cati genus illud quod
„ usura vocatur, quod-
que

„ que in contractu mu-
„ tui propriam suam se-
„ dem, & locum habet
„ in eo est repositum,
„ quod quis ex ipsomet
„ mutuo, quod suapte na-
„ tura tantumdem dum-
„ taxat reddi postulat,
„ quantum receptum est
„ plus sibi reddi velit,
„ quam est receptum,
„ ideoque ultra sortem
„ lucrum aliquod ipsius
„ ratione mutui sibi de-
„ beri contendat. Om-
„ ne propterea hujus-
„ modi Lucrum, quod
„ sortem superet illici-
„ tum, & usurarium
„ est.

Int. Cum Pontifex in hac Enciclica declaret usurarium esse lucrum illud, quod mutuans supra sortem a mutuatario exigit *ipsius ratione mutui*. Quæritur quando hoc evenit?

Res. 13. Cum mutuans exigit istud lucrum, vel ratione sortis mutuo traditæ, vel ratione usus ipsius sortis, & ratione Utilitatis, & commodi, quod ex hoc usu sortis potuit mutuatarius reportare.

Int. Est ne hoc omnino certum?

Res. 14. Et certum, & indubitatum est: quia exigere ratione mutui, est exigere ratione juris, & facultatis hoc contractu mutui concessæ, & ratione favoris, & gratiæ, concessione hujus facultatis mutuatario impertitæ. Illa vesba *ratione mutui* alium sensum habere minime possunt si hunc ipsis adimamus, sensu plane carebunt, & nihil significabunt. Cum ergo mutuans contractu mutui, nec aliud jus, nec aliam facultatem concedat mutuatario, nisi eam, utendi scilicet rebus mutuodatis, eas vel consumendo, vel alienando; Cum exigit aliquid a mutuatario ultra sortem traditam, quia usus est, vel potuit uti pecunia ipsi mutuo tradita, & propter utilitates, & lucra quæ ex isto usu reportavit, vel potuit reportare semper illud exigit ratione ipsius mutui; ac perconsequens peccati usuræ reusevadit. Qua de causa Angelicus Doctor 2. 2. q. 78. art. 1. & ali 11. apertissime testat usuram esse exigere prætium

tium

tium pro usu rei, vel pecuniæ mutuo datæ.

Int. Cum mutuans, qui exigit aliquid a mutuatario ultra sortem ipsi mutuo datam ratione usus ipsius sortis, & propter utilitates, & commoda, quæ ex isto usu reportavit, vel potuit reportare peccati usuræ reus evadat; quæritur utrum ab hoc usuræ peccato excusetur; quando lucrum, quod a mutuatario exigit, non magnum, sed parvum, vel minimum est, ut duo, vel unum in centum ad annum; & quando exigit hoc minimum lucrum non ex pecunia mutuo data pauperibus, vel indigentibus, sed mutuo data divitibus, qui pecuniam mutuo acceptam non habebunt domi otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis, prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime impendent?

Res. Nullo modo ab usura 15. mutuans adhuc in hoc casu escusatur, uti Benedictus XIV. canone II. citatæ Enciclice *vix pervenit* perspicue declaravit. „ Neque vero „ inquit ad istam labem purgandam [loquitur de labe usuræ, „ quæ fuit materia canonis præcedentis] ullum accersiri subsidium potest, vel ex „ eo, quod id lucrum „ non excedens, & nimium, sed moderatum, non magnum, „ sed exiguum fit; vel „ ex eo, quod is a quo „ id lucrum solius causa mutui deposcitur „ non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas „ suas amplificandas, vel „ novis coemendis prædiis, vel quæstuosis „ agitandis negotiis utilissime sit impensurus: Contra mutui siquidem legem, quæ „ necessario in dati, atque redditi æqualitate versatur agere ille „ convincitur, quisquis „ eadem æqualitate semel posita, plus ali„ quod, a quolibet vi „ mutui ipsius, cui per „ æquale jam satis est „ factum, exigere ad„ huc non veretur; pro,

in-

„ indeque si acceperit „ restituendo erit ob- „ noxius ex ejus obliga- „ tione justitiæ, quam „ commutativam appel- „ lant, & cujus est in „ humanis contractibus „ æqualitatem cujus- „ cumque propriam, & „ sancte servare, & non „ servatam exacte repa- „ rare.

Int. Illa verba „ Nec da- „ tam sibi mutuo pecu- „ niam relicturus otio- „ sam, sed ad fortunas „ suas amplificandas, vel „ novis coemendis præ- „ diis, vel quæstuosis „ agitandis negotiis *uti- „ lissime fit impensu- „ rus*, quibus in hoc se- cundo canone utiturPon- tifex, comprehendunt ne non solum casum, in quo mutuatarius pro suo libitu, & ex propria e- lectione pecuniam mu- tuo receptam utili, & quæstuose negotiationi impendit, sed etiam ca- sum, in quo eam nego- tiationi exponit, ut a- dimpleat legem contra- ctus, quia mutuator pe- cuniam ipsi jam tradi- dit sub pacto, & obli- gatione, eam præcise negotiationi exponendi?

Res. Certissimum est hæc 16. verba utrumque casum comprehendere, ut cla- re testatur idem Ponti- fex in suo opere de Sy- nodo Diœcesana lib. 10. Cap. 4. Postquam enim numero secundo errorem Calvinistarum exposuit, sic numero 3. prosequi- tur: „ Impie Calvini, „ & Molinæi opinioni „ non sunt veriti sub- „ scribere pauci quidam „ Doctores Catholici: di- „ stingunt, & isti du- „ plex genus mutui: „ Unum quo pecunia „ aliave res datur ad „ *consumptionem*, quod „ plerumque fit cum in- „ digentibus, pecuniam „ mutuam accipienti- „ bus, ut se, suamque „ familiam sustentent, „ debita soluant, filiam „ nuptui tradant, &c. „ alterum quo datur ad „ *negotiationem*, ut cum „ mercatoribus fieri so- „ let, qui acceptam „ mutuo pecuniam, ne- „ gotiatione augent, in- „ gensque ex ea lucrum „ reportant. In primo „ casu usuram esse faten- „ tur quidquid exigitur „ ultra sortem; Ast a fæ- „ noris labe excusant lu-

„ cram, qui in secun-
„ do casu percipitur
„ dummodo sit mode-
„ ratum, modumque ser-
„ vet a patriæ legibus
„ definitum. Hic clare
& perspicue loquitur Benedictus XIV. de his, qui pecuniam mutuo tradunt *ad negotiationem*, ut scilicet mutuatarius eam quæstuosæ negotiationi impendat; qua de causa censebant aliqui A. A. Catholici mutuum, sub hoc pacto, & conditione initum suam propriam, & peculiarem naturam quodammodo amittere, nec jam esse illud mutuum, ex quo nihil absque usura exigi potest, sed aliam mutui, vel contractus speciem quam mutuum negotiationis nominabant, ex quo dicebant moderatum lucrum absque usura exigi posse. Hæc erat illorum sententia; sed audiamus quid de ea Doctissimus Pontifex dicat. „Novam
„ hanc distinctionem,
„ prosequitur num. 44.
„ ab hæreticis primum
„ excogitatam præver-
„ terant Ecclesiæ Pa-
„ tres, qui uno ore ab-
„ solute, atque indefi-
„ nite fæneratitium pro-
„ nuntiaverant quidquid
„ ex mutuo ultra sortem
„ exigitur, quem erro-
rem ipse sequentibus numeris validissimis argumentis exagitat, & tandem numero 10., 11., & 12. testatur hunc errorem ad hæreticis inventum, & ab aliquibus D. D. Catholicis receptum, ab ipso fuisse reprobatum, & damnatum, in supracitata Enciclica *vix pervenit* ex sententia igitur ipsius Pont. relata verba hujus Enciclice utrumque casum comprehendunt.

Int. Quibus rationibus evinci, & demonstrari potest, quod illi qui tradunt pecuniam negotiatoribus, ut eam constituto tempore salvam, & integram recipiant; & si eam tradant sub pacto, & conditione, ut eam præcise negotiationi impendant, verum nihilominus contractum mutui ineant; ita ut istius pacti adjiectio, naturam contractus non immutet, nec eum in aliam contractus speciem convertat?

Tres

Res. 17. Tres rationes claræ & decretoriæ adduci possunt. Prima, quia in hac conventione adinveniuntur tria illa, quæ num. 2. diximus totam essentiam mutui constituere, scilicet materia hujus contractus, quæ est pecunia, quæ traditur. Secundo finis ad quem mutuatario traditur, qui est ut ea utatur negotiationi eam exponendo, & in aliorum dominium emptione mercium, vel alio modo eam transferendo; & tertio pactum & onus, quo ipsi traditur, scilicet ut receptam pecuniæ quantitatem salvam, & integram constituto tempore mutuanti reddat.

Secunda, quia cum pecunia in hoc casu negotiationi exponatur non periculo dantis, sed periculo recipientis, qui ad eam restituendam obnoxius remanet, etsi negotiatione totam amittat eodem prorsus modo ac si ista conditio exponendi pecuniam negotiationi adjecta non esset, sed pecunia simplici mutuo tradita esset, nihil creditori danti pecuniam interest, quod pecunia negotiationi exponatur, vel quod huic aut alteri fini inserviat. Ex quo liquide patet, istam conditionem imponendi pecuniam negotiationi mutuo adjectam solam esse vacuam, & inanem vocem ad paliandam usuram, & fucum imperitis faciendum excogitatam.

Tertia, quia si tradere pecuniam sub hac conditione eam nimirum negotiationi impendendi hanc miram vim haberet, naturam contractus scilicet immutandi, ut contractus, qui sine hac conditione initus verum mutuum esset; eadem adjecta conditione jam mutui naturam amitteret; Lex Divina prohibens pecuniam dare ad usuram inutilis esset, neque unquam suum obtineret effectum: quandoquidem omnes pecuniam ad lucrum tradentes, conditionem adjicerent, eam negotiationi, vel alteri determinato fini impendendi, sicut in censualium creatione fieri solet, in qua Notarii has scripturas conficientes,

tes, exprimere assolent finem, in quem censuum venditores pecuniam receptam impendere debent; quod si determinatus finis deficiat, tunc exprimunt pecuniam tradi, & recipi pro expeditione negotiorum. Unde usu recepta hujusmodi praxi, Lex Divina prohibens pecuniam dare ad usuram, prorsus irrisoria, verborumque unice lusus esset: Et Christiane Religionis hostes tuto possent inclamare, execrationes, quibus Sancti Prophetæ, Pontifices Summi, Concilia, & Patres usuram sunt insectati non habuisse pro objecto cupiditatem, & avaritiam hominum compescere; sed unice edocere, & demonstrare modum, & voces, quibus uti poterant, & voces, quibus abstinere debebant, cum mutua lucrativa inire vellent: quod certe, quam indecorum, & probrosum toti Religioni Christianæ foret nemo non videt.

Int. Hispaniæ leges disponunt ne aliquid in hac materia?

Res. Leges Hispaniæ in hac 18. materia ea disponunt. quæ supra tradita omnino confirmant. Nam lege 15. lib. 5. tit. 78. novæ legum collectionis hæc verba leguntur latine fideliter reddita, quod nemo, quicumque sit, dare possit, vel det pecuniam mercatoribus, vel personis, quæ negotia-
„ tioni vacant, ad hoc
„ ut eam cambiis impen-
„ dant, vel negotiatio-
„ ni exponant nisi ad
„ damnum, & lucrum,
„ & in casibus a jure
„ permissis. Quod nemo
„ possit aliquod interes-
„ se reportare ex pecu-
„ nia, quam deponat
„ apud depositarios, aut
„ mercatores, vel homi-
„ nes mercaturæ vacan-
„ tes, vel quocumque
„ alio modo eam mutuo
„ det; licet hoc faciat
„ sub colore damni e-
„ mergentis, aut lucri
„ cessantis, vel quocum-
„ que alio colore, &
„ causa; nisi in casibus
„ a jure permissis: Sub
„ pœna, quod ille,
„ qui contrarium agat,
„ incidat, si pecuniam
„ dederit in pœnam a-
„ missionis pecuniæ sic
„ tra-

„ traditæ, pro tertiis „ partibus aplicandæRe- „ giæ Cameræ, Judici, „ & denunciatori; quod „ si illam receperit, in- „ cidat in pœnam æqua- „ lis quantitatis eodem „ modo aplicandæ; & „ quod nullus sit, & „ nullis valoris, & efe- „ ctus quilibet contra- „ ctus contra supradicta „ initus, ita ut impo- „ sterum nullius sit va- „ loris, nec ad usum de- „ duci valeat sub prædi- „ ctis pœnis.

Int. Est ne hæc lex forte revocata, aut antiquata.

Res. 19. Nullo modo; sed perseverat in suo robore, & vigore. In recentiori enim legum novæ collectionis editione anni 1772. hæc lex reperitur quemadmodum in anterioribus collectionibus; nullumque decretum, nec alia providentia in ea legitur, quæ aliquid contra supradicta disponat.

Int. Quibus rationibus evinci potest usuram, seu lucrum ex pecunia mutuo data mercatoribus, qui eadam pecunia ad suum commodum utuntur, esse rem se ipsa detestabilem, atque justitiæ, rectæque rationi opositam?

Res. 20. Cathechismus Tridentinus hanc tradit: *Quoniam inquit, qui fœnerantur bis idem vendunt, aut id vendunt* addit D. h. 2. 2. q. 78. a. 1. *quod non est*: vel enim exigunt lucrum ratione sortis, vel ratione usus ipsius sortis, quo mutuatarius sortem ipsam utiliter impendit: si primum exigitur duplex compensatio pro una eademque quantitate contra omnes justitiæ leges, quæ æqualitatem in contractibus præscribunt: decem enim mutuo tradita aliis decem redditis perfecte compensantur, & si quid amplius exigitur, quidquid illud sit, sive magnum, sive parvum contra justitiam exigi manifestum est; si secundum vendit mutuans eandem rem bis vel vendit id quod non existit, cum enim res, quæ sunt hujus contractus materia, uti pecunia, vinum, triticum, &c. ad usum reduci non valeant salva earum substantia pro ut utimur domibus, equis,

quis , & similibus , quæ sunt materia contractus locationis ; sed e contrario res ille ita usu consumantur , ut earum usus in ipsarum consumptione , vel alienatione consistat , non potest usus earum vendi a proprietate separatus ; hoc est non potest fieri una venditio usus,& alia venditio proprietatis absque hoc quod eadem res bis vendatur , vel vendatur id quod non est , ac proinde absque manifesta injustitia .

Huic rationi a Cathechismo deprompte sequentem addere possumus:Quandoquidem mutuans certam tradens quantitatem mutuatario , ut eam vel consumat, vel alienet ad suam utilitatem , & æqualem postea reddat , constituit eum illius quantitatis verum dominum , quia tam rem consumere , quam in alterins dominium , eam transferre solius domini actio est , quam qui dominio illius carent peragere non possunt . Unde facile conspicitur rem esse justitiæ , & recte ratloni opositam , quod mutuans exigat prætium pro usu rei , quæ jam sua non est , & quod mutuatarius , qui est verus rei dominus, & ad quem commoda , & pericula ipsius expectant solvat prætium pro usu rei jam suæ . Ambæ rationes evidenter ostendunt usuram omnem , sive magnam , sive parvam , a quocumque exigatur justitiæ , & rectæ rationi adversari .

Non ergo Theologi Catholici injustitiam usuræ colligunt ex sterilitate pecuniæ , in sensu in quo Catholicæ Religionis hoste hanc sterilitatem accipiunt ex eo scilicet , quod pecunia seipsa non crescat , & augeatur ; nullumque fructum producat ; sciunt enim hoc sensu , & domus , & supellectilia , & vasa argentea , & vestes , & alia plurima , quæ certa mercede, locantur etiam sterilia esse , quia fructus sicuti agri , & arbores non producunt. Sciunt etiam usum pecuniæ utenti utilem esse : & pecunia prædia , & domos , & redditus perpe-

petuos, & omnia comparari; sed dicunt cum S. Th. lo cit. pecuniam, & aliaquæ mutui materia sunt sterilia esse, quia utilitas, & commodum, quod ex usu harum rerum homines reportant, non percipitur salva earum substantia; hoc est, quin hæ res consumantur, vel alienentur, at vero commodum, quod ex usu domorum, suppellectilis, & aliorum similium homines reportant, consequntur salva earum substantia; hoc est quin domus, supellex, & alia similia destruantur, & alienentur. Et hæc est ratio, quare commoditas, quæ ex usu harum rerum percipitur vendi potest; Non vero commoditas, & utilitas, quam homines consequntur, ex usu pecuniæ, & aliarum rerum, quæ mutui materia sunt, cum non possint hanc utilitatem percipere quin has res consumant, vel in aliorum dominium transferant.

Int. Quod si aliquis dicat, hujusmodi rationes nimis subtiles sibi videri; nec vim earum percipere quo pacto is convinci poterit?

Res. 21. S. Scripturæ Auctoritate, quæ tam in veteri, quam in novo Testamento usuram omnem damnat, & prohibet tanquam natura sua malam, & detestabilem.

Int. In quibus locis veteris Testamenti prohibetur, & detestatur usura?

Res. 22. In cap. 22. Exodi ver. 25.: in cap. 25. Leviticiver. 35. 36. & 37.: in Psalm. 14, 54., & 71. & cap. 18. ver. 13.: & 22. ver. 12. Ezequielis, in quibus locis, presertim Psalmo 14., & cap. 18. ver. 13. Ezequielis, verbis absolutis, & indefinitis prohibetur, & damnatur omnis usura, tanquam exactio natura sua mala, & detestabilis.

Int. In quibus locis novi Testamenti damnatur, & prohibetur usura?

Res. 23. In cap. 6. Sancti Lucæ, ver. 35. ubi Jesus Christus omnibus clamat: *mutuum date nihil inde sperantes*. Quæ verba cum generalia, & absoluta sint omne mutuum comprehendunt, cuicumque datum sit, sive pauperi, sive diviti,

ti, sive mercatori, sive non mercatori.

Int. Nonne videntur hæc verba potius consilium continere, quam aliquod præceptum imponere? Objectum enim Salvatoris nostri in hoc loco tantum est adhortari nos ad opera misericordiæ, non solum erga amicos, sed etiam erga inimicos, ut ex præcedentibus, & sequentibus verbis, quæ ad hunc ipsum scopum tendunt plane colligitur?

Res. 24. Nullo modo hæc verba ad purum consilium reduci possunt, quia licet illa prima: *mutuum date* solius consilii sint, quia occasiones, in quibus obligamur proximum simplici mutuo succurrere, non frequenter occurrunt; attamen ultima verba: *nihil inde sperantes* continent, vel præsuponunt naturale, & positivum præceptum nihil ex mutuo exigendi, aut sperandi, cujus observantiam omnibus inculcant?

Int. Quomodo hoc poterit demonstrari?

Res. 25. Ex ipso verborum contextu: „ *Et si diligitis* „ *eos, qui vos diligunt* „ inquit Dominus ver. „ 32., *quae vobis est* „ *gratia*. Nam, & peccatores diligentes se „ diligunt; & si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ „ vobis est gratia? Siquidem, & peccatores hoc faciunt; Et si „ mutuum dederitis his „ a quibus speratis recipere; quæ gratia est „ vobis? Nam, & peccatores peccatoribus „ fænerantur ut recipiant æqualia; verum „ tamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date „ nihil inde sperantes: „ & erit merces vestra „ multa, & eritis filii „ Altissimi, quia ipse „ benignus est super ingratos, & malos. Quibus verbis consuetudinem memorat, tunc temporis præsertim inter Gentiles, quos peccatores nominat, communem se fænore subveniendi in mutuis necessitatibus, & qui pecunia indigebant, beneficium, & gratiam æstimabant, quod eam apud amicos possent mutuo reperire, licet usuram mode-

moderatam, & a legibus definitam pro illius usu solvere deberent. Ne ergo discipuli audientes Dominum ipsos adhortantem ad impendendum amicis, & ingratis eadem beneficia, quæ Gentiles suis amicis impendebant, atque adeo ad dandam illis mutuo pecuniam, qua indigerent, sibi persuaderent, quod sicut Gentiles usuram legalem revera exigebant ex pecunia mutuo data amicis, possent & ipsi eandem usuram legalem exigere ex pecunia mutuo data ingratis, & inimicis: ad tollendam istius erroris occasionem post verba *mutuum date*, illa adjecit: *nihil inde sperantes*, quibus verbis legem naturalem mutui ostendit observandam in omnibus casibus; non solum cum mutuum datur fratribus, hoc est hominibus ejusdem religionis, uti lex Moysis expresse jam jubebat; sed etiam cum datur exteris hominibus, Gentilibus, & inimicis, quia lex charitatis, & fraternitatis ad omnes omnino homines nullo dempto se extendebat, quod sic agendo filii, & imitatores Altissimi fierent, qui benignus erat super ingratos, & malos.

Int. Unde constat interpretationem hanc veram, & genuinam esse?

Res. Ex ipso Evangelio, 26 quia hæc verba: *mutuum date nihil inde sperantes*, protulit Dominus in sermone, quem in monte turbis prædicavit, cujus partem legimus cap. 6. Lucæ: partem vero aliam cap. 5. Mathei. Jam vero in ipsius sermonis initio duo Dominus præmisit; Primum, quod non venerat solvere legem, aut Prophetas, sed adimplere. Secundum, quod nisi eorum justitia abundaret plus quam Scribarum, & Phariseorum, non intrarent in Regnum Cælorum. Hæc duo veluti totius sermonis capita longa probavit Dominus inductione: De juramento enim, de matrimonio, de inimicorum dilectione, de misericordia erga proximum, & de aliis multis ad legem spectantibus, disserens, in quolibet legis præcepto exponebat pri-

primo, quæ circa illud audierant dicta esse antiquis ; & deinde suam sententiam aperiebat, verum sensum legis exponens, falsas interpretationes ab antiquis inductas rigorem illius laxantes abscindens, & auditores ad exactiorem præceptorum observantiam efficaciter inducens.

Cum inter alia etiam de mutuo in hoc sermone Dominus verba fecerit, de modo scilicet, quo illud dabant peccatores aliis peccatoribus ; & de modo quo illud dare debebant, qui discipuli ejus fieri vellent, si in hac mutui materia Dominus oposita via incessisset, & non modo exactiorem observantiam præcepti usuras prohibentis non præcepisset ; sed potius licentias circa hoc præceptum introductas, exigendi nempe usuras ex mutuis exteris hominibus datis probasset, & adhuc eas ad mutua data minibus ipsius Judaicæ Religionis extendisset contra expressam legis prohibitionem, & contra Sanctorum Prophetarum doctrinam, Turbæ hæc audientes maximum passe essent scandalum, & una voce contra Dominum inclamassent : tua Doctrina non sibi cohæret, ab hujus enim sermonis initio testatus es, quod non veniebas legem, aut Prophetas solvere, sed adimplere: nunc vero in hac mutui, & usurarum materia, & legem, & Prophetas plane tollis, & evertis. Præceptum enim non exigendi usuras ex mutuo fratribus dato, a lege per Moysen traditum, a Sanctis Prophætis tam enixe commendatum, & a Populo semper religiose custoditum, hac tua doctrina prorsus abrogas, & ad merum consilium reducis. & usuram a Sanctis Prophætis toties damnatam, ut lucrum natura sua malum, & detestabile, tu ut rem prorsus indiferentem, & nihil mali in se habentem nobis proponis : tua ergo doctrina, & sibi oposita, & plane absurda est. Ergo ut hanc vitemus impietatem, fateri oportet, Jesum Christum quema-

madmodum in hoc sermone abusus, & relaxationes in aliis legis præceptis a Phariseis introductas sua doctrina compressit, ita pariter, & compresisse libertates, quæ circa præceptum mutuum gratuito tradendi, & ab usuris abstinendi a Populo receptæ, & a Phariseis permissæ erant. Judei enim & si religiose abstinebant ab usuris exigendis ex mutuo gentibus suæ ipsius religionis dato; attamen ex mutuis datis exteris, & alterius religionis hominibus, sibi licitum putabant, usuras, quas possent exigere. Hos enim alterius religionis homines non ut fratres recipiebant, & diligebant; imo tanquam gentes a vera religione aberrantes, & Deo propter Idolatriam exosas, maxime horrebant, & fugiebant. Undè nec ipsis esse benefitia impendenda, nec gratis mutuum esse dandum existimabant. Lex hanc usurarum ab exteris exactionem, & Populi Judaici a Gentili separationem tunc temporis permittebat, ne Judæi Gentibus, amicitia, fœdere, & societate uniti, in Gentium vitia, & in Idolatriam declinarent. Jesus Christus autem omnes homines salvare veniens, hunc divisionis parietem inter Populum Judaicum, & Gentilem sustulit. Ambos Populos ad suam Ecclesiam vocavit, fraternitatem, & dilectionem ad omnes omnino homines, & si ingratos, inimicos, & Idolatras extendi docuit; atque adeo omnibus beneficia impendenda, & omnibus mutuum esse dandum, & dandum quidem eo modo, quo Divina Lex fratribus dari præcipiebat, hoc est gratuito sine ulla usurarum exactione, & ut ipse explicat Dominus nihil ex ipso mutuo sperantes. Hic est horum verborum veridicus, & genuinus sensus, ut cuicumque rem consideranti facile patebit.

Int. Potest ne hæc interpretatio hujus texti S. Lucæ aliis probationibus confirmari?

Res. Potest sane confirmari Auctoritate PP. Con-

ci-

ciliorum, & Summorum Pontificum Urbani III., Alex. III., & Innoc. III. omnes enim milies protestati sunt, non modo vetus; sed etiam novum Testamentum usuram prohibere, & detestari, cum vero in novo Testamento nullus locus occurrat, qui de mutuo, & usura loquatur, nisi iste S. Lucæ, manifestum est ex sententia PP. Conciliorum, & Summorum Pontificum, in isto S: Lucæ textu; *mutuum date nihil inde sperantes*, usuram prohiberi, & damnari. Porro Urbanus III. in cap. 10. & Innoc. III. in cap. 11, de usuris istum testum S. Lucæ expresse allegant ad probandum, Dominum Nostum Jesum Christum his verbis: *mutuum date nihil inde sperantes* omnem, & quacumque usuram prohibere. Asserere autem, Pontifices, & Concilia verum, & genuinum horum verborum sensum non fuisse assequuta, & temerarium, & quasi hæreticum esse testatur ipse Benedictus XIV. de Sinodo Diæ. lib. 10. cap. 4. n, 6. hac ratione innixus: quia nempe certum, & indubitatum est Ecclesiam errare non posse in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu fidelibus aperiendo. Quapropter, qui hoc pertinaciter defenderet, si hæreticus non esset, saltem de hæresi vehementer suspectus foret.

Int. Si usura ut asseritur in utroque Testamento prohibita, & damnata est, ut res natura sua mala, & detestabilis, quomodo potuit Deus permittere, vel concedere Hæbreis illam ab hominibus exteris exigere his verbis, quæ legimus cap. 23. Deuteronomii v. 19., & 20. Non fænerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec quamlibet aliam rem; *sed alieno*: fratri autem tuo absque usura id quod indiget commodabis.

Res. Cum Scriptura hujus
28 Indulgentiæ rationem nobis non assignet, neque nobis incumbit eam assignare, Deus enim Hæbreis multa permisit, quæ Christianis minime permissa sunt, ut plu-

res

res uxores simul habere, & matrimonia cum ipsis contracta in aliquibus casibus, dato libello repudii, dissolvere, quæ omnia Legi naturali matrimonii, ut Christus ipse testatus est plane adversantur. Qua de causa in præsenti statu omnibus hominibus, & prohibita, & illicita sunt minimeque permissa. Non ergo mirari debemus, quod & ipsis permiserit usuras exigere ex mutuis exteris hominibus datis, licet, & hoc sit contra naturalem legem mutui, proindeque omnibus hominibus in præsenti statu prohibitum, neque permissum. Sanctus Ambrosius explicat, quomodo hoc a Deo Hæbreis concedi potuit. Sanctus vero Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. declarat in quo sensu hæc permissio accipienda sit. Sed supervacaneum judicamus in hac quæstione enucleanda diutius immorari, cum parum nobis intersit scire, quid potuerint facere antiqui Hæbrei; Et solum, quid facere possint vel non possint nunc Christiani ad quorum instructionem hæc scribimus, nostrum sit aperire.

Int. Si Christus Dominus in hoc S. Lucæ testu omnibus quamcumque usuram exigere prohibuit, vel potius legem naturalem mutui ostendit, omnem quamcumque usuram damnantem, quare Math. 25. & Luc. 19. servum pigrum culpavit, quod pecuniam non dedisset numulariis, ut cum usuris postea ipse eam recepisset: Nonne videtur his verbis Dominum approbare, quod pecunia detur ad usuram?

Res. 29. Minime, quia, quod hic loquitur Christus Dominus pura parabola est, qua proposita similitudine numulariorum, & trapezitarum fortunas suas fænore amplificare curantium, nos voluit provocare ad augmentum virtutis, non probando iniquitatem fænoris, sed nos invitando ad spiritualium talentorum augmentum. Neque enim ubicumque datur similitudo in Scripturis laudatur illa

res

res unde similitudo illa trahitur . Non enim laudat Dominus iniquum judicem , qui nec Deum timens , nec homines veritus , viduam audire nolebat ; non illum laudat pigrum , qui tres panes non proptet amicitiam de lit petenti; sed tedio victus : Non laudat villicum iniquitatis , quod fraudem fecerit Domino, remittendo partem debitoribus Domini sui : & tamen inde similitudines traxit, ad instituendos mores hominum oportunas : ita non probat usuram pecuniæ, quamvis , ex ea similitudinem ducat , ut homines ad usuram gratiæ hortetur . Sic respondet Nat. Alex. lib. 3. art. 3. prop. 2., quæ responsio desumpta est ex S. Ambrosio enarratio. In Psalm. 36., & ex lib. Tob. cap. 19.

Int. Si mutuatarius , quia ingens lucrum ex usu pecuniæ mutuo acceptæ reportat , libere, & spontanee solvit usuram, vel interesse moderatum, & exiguum , quod ex ipso exigit mutuans , erit ne licita in hoc casu usura?

Res. 30 Nullo modo adhuc in hoc casu usura licita erit, quia Jesus Christus præcipit mutuum gratis semper dari , & veluti ipse loquitur nihil inde sperantes : omnes ergo huic Legi Divinæ debent obtemperare , & nemo potest hanc Domini legem immutare , limitare , vel in ea dispensare , sicuti pari ratione nemo potest , nec conjugibus ipsis consentientibus immutare , limitare , vel dispensare in Lege Divina , perpetuitatem , & monogamiam in matrimonio indicente , Leges autem Divinæ , quæ mutuum dirigunt , non minori virtute polient , quam leges matrimonium dirigentes .

Int. Viduæ , & aliæ personæ industria carentes , & artis negotiatoriæ omnino ignare , poterunt ne tradere mercatoribus ad certum annuum moderatum lucrum pecuniam sibi a Maritis , vel Parentibus testamento relictam , quando nihil aliud habent unde vivant?

Res. 31. Nullo modo hoc facere poterunt ; sicut enim ne-

nemo potest furari, ut ex furtis vivat, nisi esset in extrema necessitate constitutus, ita nec potest usuras exigere, ut ex ipsis vivat, & sustentetur. Usurarii jam tempore S. Augustini hanc excusationem afferebant ad suum delictum obtegendum; sed ecce quomodo Sanctus Doctor ipsis respondebat in enarr. in Psalm. 128. „ Audent „ enim fæneratores dicere [inquit] non habeo aliud unde vivam. „ Hoc mihi, & latro diceret deprehensus in „ fraude, hoc et effractor, diceret, deprehensus circa parietem „ alienum, hoc mihi, „ & leno diceret emens „ puellas ad prostitutionem, hoc et maleficus incantans mala, „ & vendens malitiam „ suam, quidquid tale „ prohibere conaremur, „ responderent omnes, „ quia non haberent unde viverent, quia inde se pascerent: quasi „ non hoc ipsum in illis maxime puniendum „ est, quia artem nequitiæ elegerunt unde vitam transigant, „ & inde se volunt pascere unde offendant „ eum, a quo omnes pascuntur.

Int. Innoc. III. in Cap. 7. de donat inter virum, & uxorem præcipit ut viro, etsi ad inopiam vergenti dos promissa assignetur sub ea cautione, quam præstare possit, vel saltem alicui mercatori commiti, ut de parte honesti lucri dictus vir possit onera matrimonii sustentare: ergo & viduis licitum erit ad suam sustentationem dare pecuniam ad lucrum alicui mercatori.

Res. 82. Consequentia hæc falsa omnino est, quia Innoc. III. in isto capite minime asserit, quod mercator recipiens dotem negotiationi eam exponat suo proprio periculo, securos reddendo de sorte recuperanda, qui eam tradiderunt; nec etiam asserit, quod ipsis promittat certum annuum lucrum, quamdiu sors apud se manebit; imo potius verba Pontificis ostendunt, quod mercator dotem negotiationi exponet periri-

riculo tradentium, ut eorum purus mandatarius, vel negotiorum gestor, vel saltem, quod eam societatis nomine recipiens, negotiationi exponet communi periculo, ut leges societatis ferunt, quia non qualitas negotii, cui maritus impendit dotem, sed qualitas personæ ipsius mariti ad inopiam vergentis est totalis causa hujus Pontificiæ dispositionis.

Int. Possunt ne Principes Supremi suo alto dominio, & suprema, qua pollent auctoritate facere, quod suis subditis in aliquo casu licitum sit, exiguum vel moderatum lucrum ex mutuo exigere? sicut suo alto dominio faciunt, quod licitæ sint bonorum alienorum adquisitiones longi temporis præscriptione?

Res. Nullo modo, nec di-
33. recte, nec indirecte hoc Principes facere possunt, quia omnes homines etiam Principes subjiciuntur Deo, ejusdemque legibus debent obtemperare; nec possunt eas limitare, vel dispensationem aliquam in aliquo casu in eis concedere, nec aliqua via indirecta eas debito effectu defraudare proindeque non possunt facere quod contractus mutui sit in suis ditionibus Contractus Lucrativus, postquam Jesus Christus præcepit, quod semper & in omni casu foret contractus omnino gratuitus, ex quo nihil lucri, vel exigi, vel sperari possit. Principes bono publico sic exigente, possunt subditorum consensum in aliquibus casibus suplere, sicut suplet Judex in his Hispaniæ Regnis consensum Parentum, qui absque justa causa renuunt matrimoniis filiorum consentire, & debitoris recusantis aprobare venditionem suorum bonorum ex præcepto ipsius judicis factam, ut ex istius venditionis prætio creditoribus sua credita solvantur; attamen, quod subditorum libero consensu fieri non potest, quia est Divina Lege prohibitum, ut matrimonium cum pluribus simul vel ad certum tem-

tempus contrahere, & pecuniam ad usuram dare, neque Principis auctoritate fieri potest. Romani Imperatores sua suprema Auctoritate usuras in quantitate a legibus definita approbabant, uti videre est in titulo de usuris, & fructibus, & alibi, & nihilominus Ecclesia semper usuras detestata est, easque severe prohibuit uti Divinæ Legi opositas, ut constat ex Concilio Niceno Can. 18. & ex Conciliis Africanis tempore Sancti Augustini habitis. Jam vero Sanctæ Ecclesiæ Patres, præcipue Sanctus Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius Naziancenus, Basilius, & alii, qui in ditione Romani Imperii vivebant, ejusque legibus subjiciebantur, acriter usuras insectati sunt ut lucrum Deo summe exosum, & abominabile nihil in hac re leges Imperii Romani facientes cum scirent Divinæ Legi esse opositas. Si Principes suo alto Dominio potuissent facere, quod licitum suis subditis esset moderatum lucrum ex pecunia mutuo data exigere, & SS. PP., & Ecclesia Universa reprehensione digni fuissent, quod usuras, seu lucrum ex mutuo exigere, ut rem abominabilem, & a Deo prohibitam condemnarent, in ipsa Romani Imperii ditione, ubi ipsi vivebant, & concionabantur, cum illud lucrum in quantitate exigua exactum ibi licitum, & honestum fuisset supositis legibus imperii illud probantibus, quod certe dicere, vel excogitare summum nefas esset. Porro adeo Ecclesia aliena est ab errore eorum, qui asserunt Principes suo alto Dominio posse usuras honestare, aut facere quod lucrum moderatum ex mutuo exactum, usura non sit, sed licita exactio, quod certe idem est, ac usuras licitas reddere, ut in Concilio generali Viennensi, sub gravissimis pœnis præceperit omnibus Potestatibus, & rectoribus communitatum, ut intra tres menses revocarent, & irrita decla-

rarent omnia statuta usurariam pravitatem quod amnodo approbantia, his verbis, in Cap. uni Clem. de usuris relatis : „ Ex „ gravi ad nos insinuatione pervenit, quod „ quorundam Communitates locorum in offensam Dei, ac proximi, ac contra jura „ divina pariter, & humana usurariam approbantes quodam modo „ pravitatem, per statuta sua juramento „ quandoque firmata usuras exigi, & solvi „ ne dum concedunt; sed „ ad solvendas eas, debitores scienter compellunt ac juxta ipsorum „ continentiam statutorum, gravia imponendo plerumque usuras „ repetentibus onera, „ aliisque utendo super „ his coloribus, & fraudibus exquisitis repetitionem impediunt „ earundem. Nos igitur pernitiosis his abusibus obviare volentes, sacro approbante „ Concilio statuimus, ut „ quæcumque communitatum ipsarum Potestates, Capitanei, „ Rectores, Consules, „ Judices, Consiliarii, „ aut alii quivis officiales statuta hujusmodi „ de cætero facere scribere, vel dictare, aut „ quod solvantur usuræ „ aut quod solute cum „ repetuntur, non restituantur, plene, & „ libere scienter judicare præsumpserint, sententiam excomunicationis incurrant; eandem sententiam incursuri, nisi statuta hujusmodi hactenus edita „ de libris comunitatum „ ipsarum (si super hoc „ potestatem habuerint) „ intra tres menses deleverint.

„ Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter „ affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum; Decernimus eum, velut „ hæreticum punien- „ dum; locorum ordinariis, & hæreticæ „ pravitatis Inquisitoribus districtius injungentes, ut contra „ eos, quos de errore „ hujusmodi diffamatos „ invenerint, aut suspectos; tanquam contra diffamatos, vel

su-

„ suspectos de hæresi
„ procedere non omit-
„ tant.

Nec Pontifices Summi ampliorem quam Reges in hac re potestatem habent: Qua de causa rogatus Alex. III. ab Archiepiscopo Panormitano, quatenus dispensationem concedere dignaretur ut posset pecunia dari ad usuram ad hoc ut pauperes, qui in Saracenorum potestate tenebantur, per eandem possent pecuniam liberari, his verbis respondit, quæ in cap. 4. de usuris leguntur: „ Cum
„ usurarum crimen u-
„ triusque testamenti
„ pagina detestetur, su-
„ per hoc dispensatio-
„ nem aliquam posse fie-
„ ri non videmus: Quia
„ cum Scriptura Sacra
„ prohibeat pro alterius
„ vita mentiri: multo
„ magis prohibendus est
„ quis, ut etiam pro
„ redimenda vita capti-
„ vi usurarum crimine
„ involvatur.

Int. Quomodo ergo Principes possunt in suis ditionibus, leges præscriptionis probare, quarum ope possit aliquis licite aliorum bona adquirere, & sua facere?

Res. 35. Quia hoc nulla lege naturali, nec Divina prohibitum est. Possessor enim bonæ fidei juste possidet, suos facit fructus ex re perceptos, neque illos restituere tenetur; nisi adhuc existant cum dominus innotescit: vel cum his fuerit ditior effectus: possessio ergo hæc, quæ possessori titulum justum præbet percipiendi fructus ex re possessa procedentes, continuata per plures annos potest, & ipsi jus tribuere ad adquirendum ipsius rei dominium, si in hoc singuli consentiant, vel leges Principis, quæ omnes subditos ligant sic disponant; quia nulla existit lex naturalis aut divina, hanc bonorum adquisitionem possessori bonæ fidei interdicens. Omnino oppositum in usura evenit, quia cum lex divina præcipiat mutuanti ut nihil exigat a mutuatario supra sortem datam, sed sortis ipsius receptione contentus sit,

& quod nihil omnino lucri percipiat ratione mutui; hoc est ratione beneficii, quod mutuatario mutuum illi tradendo impendit, & ratione usus rei mutuo datæ, & utilitatis, quæ ex hoc usu reportavit: Principes, qui suo alto dominio vellent facere, quod mutuatarius transferret in mutuantem dominium lucri, supra sortem acceptam promissi contra legem divinam hoc fieri prohibentem manifeste irent. Consequenterque absque peccato hæc Principum placita observari non possent, eo modo, quo observari nequirent leges, quibus aliquis Principum ob majus subditorum bonum, quod sibi imaginaret, intenderet suo alto, & supremo dominio probare in sua ditione, furta, fraudes, injustitias, & bonorum præscriptiones vi malæ fidei possessionis, transferendo suo alto dominio res furto ablatas, vel fraudibus, dolo, & nequitia adquisitas a dominio priorum dominorum in dominium latronum, & injustorum possessorum; quia hæ leges flerent contra septimum Decalogi Præceptum: *Non furtum facies*; furta, fraudes, usuras, & cæteras injustitias omnibus prohibens; quod Divinum preceptum omnes observare debent etsi Principes, & Reges sint.

Veritas ergo fidei est, in Concilio generali Vienensi, & alibi deffinita, quod dare pecuniam ad usuram, hoc est exigere lucrum aliquod ex pecunia mutuo data, res est natura sua mala, & detestabilis, in utraque sacra pagina a Deo damnata, quæ a nemine absque peccato admitti potest, etsi ad hoc principis consensum obtineret, Quæ propositio, & veritas ad fidem expectans, ab omnibus Catholicis fuit semper recepta, & præsertim a nostris Catholicis Hispaniarum Regibus, ut ex legibus 1. 2, 4. 5. lib. 8. tit. 6. nove legum Collectionis, quæ in calce hujus tractatus adjectæ sunt perspicue constat. In his enim legibus Catholici Reges, non

non modo suis subditis, gravissimis propositis pœnis, quascumque usuras prohibent; sed etiamcontractus omnes in fraudem usurarum, & ad circumveniendum leges usuras prohibentes initos, sub paribus pœnis ipsis interdicunt.

Int. Est ne semper usuræ reus mutuans, qui a mutuatario aliquid ultra sortem datam exigit?

Res. 36. Est semper usuræ reus quando exigit aliquid ultra sortem, ratione ipsius mutui, & ratione usus sortis mutuo datæ: ab usura tamen erit immunis, si illud exigit ex aliis causis, & titulis extraneis, forte cum mutuo concurrentibus,

Int. Tituli cum mutuo concurrentes, qui mutuanti jus tribuere possunt ad juste exigendum aliquid ultra sortem traditam, quales debent esse?

Res. 37. Debent esse tituli mutuo extrinseci, & qui huic contractui non sint connaturales, & innati: Uti Bened. XIV. in toties citata Enciclica: *vix pervenit*, his verbis expresse declaravit: „Per „hæc autem nequa„quam negatur, inquit „num. 9. posse quan„doque una cum mu„tui contractu, quos„dam alios, ut ajunt „titulos, eosdemque, „ipsimet universim na„turæ mutui minime „*innatos*, & *intrinse„cos*, forte concurrere: „ex quibus justa omni„no, legitimaque cau„sa consurgat, quid„quam amplius, su„pra sortem ex mutuo „debitam rite exigen„di.

Int. Assigna aliquos ex titulis mutuo intrinsecis, & innatis, quorum ope nihil omnino in mutuo supra sortem exigi potest?

Res. 38. Unus ex istis titulismutuo intrinsecis est certe labor in recuperanda sorte impendendus, Procurator autem, qui Domini mandato sortem a mutuatario exigeret, rite, & juste posset percipere salarium illud, quod legibus, vel legitima consuetudine pro similibus ex actionibus foret definitum; mutuans vero nihil hac de causa exigere potest, quia labor recuperandi sortem mutuo

datam, intrinsecus, connaturalis, & innatus mutuo est, quia qui contractum mutui celebrat necessario debet sortem tradere, & eam postea recuperare, & sicut debet gratis, mutuum dare sic pariter debet gratis peragere ea omnia, quæ ad mutui recuperationem requiruntur., & nihil omnino pro his actibus exigere potest.

Int. Assigna nunc aliquos titulos mutuo extrinsecos &c., qui jus tribuunt mutuanti, ad aliquid supra sortem datam ritè, ex mutuo exigendum?

Res. AA. Communiter as-
39. signant lucrum Cessans, & damnum emergens, quia licet nullus textus in Sacra Scriptura occurrat, qui hos titulos probet; nec etiam canon, aut constitutio aliqua Ecclesiastica, reperiatur quæ hos titulos legitimos declaret, nihil ominus communis Theologorum sententia sustinet horum titulorum præsidio, mutuantem posset aliquid ultra sortem a mutuatario exigere; dummodo hi duo tituli iis conditionibus socientur, quas ipsi assignant. Quia, sic ipsi prossequuntur; & si Jesus-Christus mutuantibus prohibuit lucrum ex mutuo percipere; non illis prohibuit se indemnes servare à damnis quæ ob mutuum patiuntur: hoc vero, & non aliud fit, quando vi horum titulorum ex mutuo aliquid percipitur;

Int. Assigna Casum, in quo cum mutuo concurit titulus lucri cessantis?

Res. Titius habet, ex. g.,
40. mille ducatos paratos ad emendum annuum censum realem perpetuum, triginta ducatorum, invenit jam Cajum paratum ad censum realem 30. ducatorum hoc prætio ipsi vendendum; In hoc rerum statu Sempronius mutuo petit a Titio mille ducatos ad census emptionem destinatos; Si Titius præcibus Sempronii victus ad præstandam ipsi hanc gratiam, mille ducatos emptioni destinatos ipsi mutuo tradit, licite ab eodem petere potest per viam justæ indennizationis 30. ducatos annuos, quos amittit, quia a prædicta em-

emptione census, ob ipsius gratiam se abstinet.

Int. Assigna alium Casum in quo cum mutuo concurrat titulus damni emergentis?

Res. Titius pecunia egens mille aureos mutuo petit a Sempronio: Cum vero Sempronius pecunia careat ad mutuum elargiendum ipsi suggerit Titius; quod annum Censum 30. aureorum imponat super bonis suis stabilibus, & quod prætium 1000. aureorum ex hoc censu consequendum (in Hispania enim census consignativi ad rationem trium pro centenario Regiis constitutionibus taxati sunt) ipsi mutuo elargiatur promitens illum indemnem servare ex hac Census impositione: Si igitur Sempronius præcibus Titii annuens prefatum Censum in bonis suis imponat, & pretium 1000. aureorum ex hoc censu consequutum titio mutuo det, poterit juste à Titio exigere 30. aureos annuos, quos in sui gratiam emptori census solvere debet; quousque dictos mille aureos mutuo acceptos restituat ope hujus tituli, quem damnum emergens Theologi vocant.

Nihilominus fatendum est, pluribus dificultatibus titulum lucri cessantis obnoxium esse, & sequentibus rationibus, validissime posse impugnari. 1. Quia Scriptura Sacra hujus tituli nullam omnino mentionem facit; sed in utroque Testamento, usuram, seu lucrum ex mutuo exigere modo absoluto, & indefinito prohibet, & damnat. Cum ergo ex hac absoluta, & indefinita usuræ prohibitione SS. PP. concludant, uti testatur Benedic. XIV. de Syno. Diœ lib. 10. cap. 4. num. 4. quamcumque usuram, etsi exiguam, & minimam, & etiamsi exigatur a divitibus, & mercatoribus, qui utiliter pecuniam acceptam impendent, esse a Deo prohibitam, & damnatam: Ex eadem absoluta prohibitione etiam concludi oportet, pariter damnatam esse usuram, etsi exigatur ex pecunia, quæ non apud mutuantem otiosa existeret; sed quæ agitandis utiliter negotiis ab ipso impenderetur.

2. Quia pecunia non ad hoc instituta est, ut eam quis domi otiose repositam habeat sed ut ea ad suum commodom utatur , pecunia enim, qua quis non utitur , & uti non potest plane inutilis , & nullius valoris esset , non minus, quam aurum in fodinis reconditum . Omnis pecuniæ valor pendet a Commoditate , quam homines , ex ejus usu reportare possunt . Qui autem pecuniam mutuo dant , quoad illam repetant hac commoditate privantur ; Si ergo , possent usu tituli lucri cessantis debitam indemnitatem à mutuatario exigere , & hoc nomine aliquod lucrum ultra sortem pascisci , semper hoc facere possent , ac proinde leges Divinæ usuras prohibentes inutiles , & supervacaneæ forent , usus ergo hujus tituli legem Divinam evertit, consequenterque neutiquam est admittendus

3. Quia hujus tituli lucri cessantis , neque P. P. , neque alii Antiqui Scriptores , de mutuo , & usura tractantes , ullam prorsus mentionem faciunt ; sed absolute quolibet lucrum ex mutuo exactum damnant , & execrantur , nulla distinctione facta inter casum, in quo pecunia quæ mutuo datur remaneret alias apud Dominum otiosa ,& inter casum , in quo utiliter a Domino impenderetur : etsi occasiones utiliter Impendendi pecuniam antiquis temporibus , in quibus ob magnam pecuniæ inopiam Census annui Martini V. , & Calisti III. authoritate , ad rationem 10. in 100. constituebantur , multo frequentiores essent , ut cuique compertum est .

4. Quia Divus Tomas 2. 2.æ q. 78. art. 2. ad 3. de his titulis agens , titulum damni emergentis probat & titulum lucri cessantis expresse damnare & reprobare videtur his verbis : „ Recompensa-
„ tionem vero damni ,
„ quod consideratur in
„ hoc , quod de pecunia
„ non lucratur , non po-
„ test in pactum dedu-
„ cere , quia non debet
„ vendere id quod non-
„ dum habet , & po-
„ test impediri multi-
pli.

„ pliciter ab haben-
„ do .

Hæc igitur spes ex pecunia lucrandi mutuatori titulum justum non tribuit ad exigendum à mutuatario aliquam recompensationem . Quia hanc spem ex pecunia lucrandi omnes mutuatores præ tendere possunt . & cum mutuo semper concurrit, ut supra dictum est ; Proindeque omnes ex hoc capite aliquod lucrum ex pecunia mutuo data exigere possent ; Titulus ergo iste ex illis est, qui mutuo intrinseci , & innati sunt , quorum ope nihil ultra sortem exigi potest . Neque vero docet hic Sanctus Doctor contraria iis , quæ quæst. 62. art. 4. docuerat , sed casum diversum proponit . Ibi enim de debitore moroso locutus fuerat , qui ad reparanda omnia damna creditori sua mora illata ob. noxius erat , & inter hæc damna numerat Sanctus Doctor etiam lucrum interceptum , quod vult recompensari juxta peritorum æstimationem , habita ratione majoris , vel minoris probabilitatis lucri sperati , & expensarum ; quæ ad illud assequendum fieri debebant . At vero hic loquitur de eo , qui pecuniam mutuo dat , & diserte negat , quod possit aliquod lucrum pacisci , eo nomine , quod ex pecunia quam mutuo dat poterat aliunde aliquid lucrari ; non , quod hæc spes lucrandi ex pecunia, licet possit multis modis impediri nihil se ipsa valeat , & nihil revera possit æstimari , oppositum enim docuerat in supradicta quæst. 62. , & res per se aperta , & innegabilis est ; Sed quia huic vagæ Spei ex pecunia lucrandi necessario omnes mutuatores renunciare debent , cum in mutuum consentiendo , facultate utendi pecunia mutuo data , ex vi ipsius contractus se abdicent quousque illam repetant : Proindeque ratione abdicationis hujus facultatis, sine qua mutuum iniri non potest , nullam recompensationem a mutuatario exigere possunt , quin mutuum suam gratuitatem ammittat , & contractus

ctus lucrativus contra Domini legem evadat. Hæc est D. Thomæ doctrina in his duabus quæstionibus proposita, cui adheret Hispanorum Tribunalium inconcussa praxis; in nullo enim permittitur mutuatoribus aliquot lucrum in contractu mutui pacisci prætextu lucri cessantis, & si contrarium fieret, tum contrahentes, tum Notarii instrumenta similium contractuum conficientes pœnas in usurarios latas non evaderent: At vero in omnibus Hispaniæ Tribunalibus condemnantur debitores ad recompensandum suis Creditoribus lucrum sua culpabili mora interceptum, cum hujus lucri intercepti congruæ probationes non dessunt, uti infra latius explicabitur.

Sententiæ divi Thomæ, lucrum cessans in contractu mutui reicienti adheret subptilis Doctor Durandus, Sanctus Antoninus, & alii omnes usque ad Conradum Sunhemar, quem auctorem recentem vocat Sotus. Hic enim primus fuit, teste eodem soto, qui titulum lucri cessantis octo conditionibus vallatum defendere ausus est. Doctrina ergo hæc, quæ titulum lucri cessantis probat nova est in Ecclesia Dei proindeque periculi plena; & minime a fidelibus admittenda. Merito igitur illam convellit idem Soto, & novissime Sapientissimus Juris-Consultus, qui oportunis annotationibus opus Lucii Ferrarii illustravit in verbo usura.

Int. His ergo rationibus victi. hunc titulum lucri-cessantis prorsus rejiciemus.

Res. A Debitore moroso posse Creditorem exigere recompensationem, non modo damni passi; Sed etiam lucri intercepti sponte fatemur, quia hoc Divus Thomas non negat, & in Tribunalibus usu receptum est; attamen nunquam concedemus quod beneficio tituli lucri cessantis possit mutuans in contractu mutui aliquot lucrum sibi pacisci, nisi lucrum cessans talibus circumstantiis foret Sociatum, ut ad damnum emergens à Sancto Thoma probatum com-

commode posset reduci, cum alias titulus iste mutuo intrinsecus, & innatus sit; uti rationes adductæ clare demonstrare videntur.

Int. Quænam sunt hæ conditiones, quæ necessario concurrere debent ad hujus tituli justificationem?

Res. 43. Benignus Bossuetius Meldensis Episcopus, Pater Daniel Concina, & Pater Patuzi sequentes conditiones expostulant: 1. quod occasio impendendi utiliter pecuniam actualis, & præsens sit. 2. Quod mutuans non exigat a mutuatario totum lucrum, quod ex negotiatione sperabat; Sed diminuendum esse juxta espensas, pericula, latores. & alia, quæ necessaria erant ad lucrum assequendum. 3. Quod lucrum debet cessare præcise ratione mutui 4. Quod mutuum sit meri consilii, & non cadat sub præcepto Charitatis, quia tunc gratis omnino tradi debet, & nihil suprà sortem exigi potest. 5. Quod in vi tituli lucri cessantis non amplius exigatur, quam, id quod legibus Regni, vel legitima consuetudine pro recompensatione legitimi interesse definitum est: Neque id exigatur a personis, quæ non possunt illud solvere, quin in paupertatem incidant. 6. Necesse est, quod mutuans mallit lucrum ex negotiatione, quam ex mutuo, ita ut mutuum det ex motivo Charitatis, & non ob privatum commodum, & ex motivo propriæ utilitatis.

Int. Quomodo Confessarius cognoscere poterit, has omnes conditiones concurrere in mutuo de quo consulitur?

Res. 44. In his rebus regulariter dicto Pœnitentis Confessarius stare debet. Attamen debet multum insistere in exponenda pœnitenti ultima conditione, quæ regulariter in omnibus mutuantibus defficit, qui non moventur, ad mutuum dandum primario, ex motivo Charitatis, & beneficientiæ; ita ut plus amando pecuniam negotiationi exponere, quam mutuo sub pacto lucro tradere, nihil omnus a negotiatione abstineant, & mutuum dent

præ-

precibus mutuatarii præcipue victi : hunc enim animum vix unus habet , sed fere omnes mutuum sub lucro dant , quia credunt , quod ex mutuo facilius , securius , & cum minori labore , quam ex negotiatione lucrabunt ; ac propterea rei usuræ sunt in omnium A.A. Sententia .

Int. Animus impendendi utiliter pecuniam mutuo datam prediorum vel censuum emptione , quando ocasio se offerat, sufficit ne in mutuante ad lucri cessantis justificationem , si hæc occasio actu non adest , cum pecuniam mutuo dat ?

Res. 45. Non sufficit hæc animi dispositio , quæ reperitur in omnibus hominibus , qui Capuccinorum more , voto , & desiderio fortunas suas augendi minime renuntiarunt ; ac proinde omnes qui mutuum darent semper hunc titulum haberent ad aliquod lucrum , ex mutuo percipiendum asserere autem mutuantes semper aliquem titulum habere , cum mutuum dant ad aliquid ultra sortem percipiendum non modo falsum , & temerarium , & Divinis documentis , contrarium ; sed & rationi naturali , & communi hominum sensui oppositum declavit Benedic. XIV. in prælaudata Constitutione : *Vix pervenit* num. 12. Hoc enim admisso latissimum ostium exiguis usuris aperiretur & leges Divinæ hoc lucrum & si minimum prohibentes inutiles , & supervacanee forent .

Int. Si mutuans sit homo industrius , & mercaturæ deditus sufficit ne ad justificationem lucri cessantis , quod pecuniam , quæ ab ipso mutuo petitur , paratam habeat , & destinatam ad impendendam fructuosæ negotiationi , quando occasio se ei efferat ; si hæc ocasio revera non adest cum pecuniam mutuo dat ?

Res. 46. Hoc certe non sufficere quia cum ob negotiatorum multitudinem , adhuc hominibus magis industriis & habilibus non se offerant semper negotia , in quibus utiliter possint impendere pecuniam , quam Domi repositam habent ; sed frequen-

quenter nulla negotia adinveniant, in quibus pecuniam impendere possint, vel ea, quæ ipsis se offerunt talia sint, ut ex ipsis magis damnum timeatur, quam lucrum speretur; hæc generalis voluntas negotia agitandi, nec in negotiatoribus fundat titulum lucri cessantis ad exigendum interesse a mutuatario: sed preter hanc generalem voluntatem, requiritur, quod actu adsit negotium aliquod certe utile, & lucrativum, in quo possint & velint revera suam pecuniam impendere, & quod præcibus mutuatarii victi, ab illo negotio se abstineant, ut possint illi mutuo succurrere & demum, quod aliæ conditiones supra expositæ concurrant.

Int. Dantur ne alii Tituli, quorum ope possit mutuans rite, & juste aliquid supra sortem a mutuatario exigere?

Res. 47. Non pauci Theologi adducunt adhunc effectum etiam periculum amittendæ sortis mutuo tradite?

Int. Quotuplex est hoc sortis amittendæ periculum?

Res. 48. Duplex a Theologis assignatur, primum, quod periculum facti appellant, alterum vero periculum juris?

Int. Quid est periculum facti?

Res. 49. Est periculum, quod a qualitate mutuatarii provenit, qui ob suam inopiam, præstituto tempore pecuniam mutuo acceptam reddere forte non poterit, vel ob suam nequitiam redere forte recusabit, quia homo injustus, & dolosus est

Itn. Quando periculum amittendæ sortis non ex prava mutuatarii qualitate procedit, quia revera vir probus, & justus est sed ex ejus inopia. qua opressus, etsi præstituto tempore acceptam quantitatem restituere velit, eam tamen forte restituere non poterit, tribuunt ne tunc mutuanti jus ad rite exigendum aliquid ultra sortem datam?

Res. 50. Nullo modo, quia in hoc casu periculum amittendæ sortis mutuo intrinsecum, & innatum est mutuum enim ex sua natura ad pauperum & inopum levamen, & subsidium ordinatur, qui vero

vero pauperes, & inopes revera sunt non nisi cum magna difficultate reddunt, quæ mutuo acceperunt, unde creditores semper in magno periculo versantur pecuniam creditam omnino aut partim amittendi, vel eandem ægre admodum recuperandi. Si ergo Creditores pro recompensatione hujus periculi a mutuatario aliquid exigere possent, & hac de causa lucrum aliquod ultra sortem pascisci; præceptum Christi: mutuum date nihil inde sperantes, nunquam consequeretur effectum, sed prorsus vanum, & otiosum esset: immo quo magis homines inopia, & indigentia premerentur, tanto majoribus usuris juste onerari possent, quia quanto homines sunt pauperiores tanto difficilius ab ipsis recuperatur, quod mutuo creditum est, & quanto crescit hæc difficultas recuperandi & periculum amittendi, tanto majori pretio hoc periculum, & difficultas posset recompensari; quod certe non modo iniustum & iniquum: sed crudele, & inhumanum prorsus foret. Unde Communissima Theologorum Sententia defendit, in hoc casu ob periculum sortis amittendæ nihil a mutuatario exigi posse.

Int. Quando periculum sortis amittendæ ex una parte non est periculum ordinarium, commune, quod in omnibus fere hominibus invenitur, quia omnes possunt faliere, mentiri, & ad inopiam vergere: sedest periculum extraordinarium procedens non ab inopia mutuatarii, sed ab ejus pessima qualitate, quia homo dolosus, & fraudulentus est; qui fidem alias jam fregit, vel pecuniam temere inpendit negotiis periculosis, vel majoribus, quam suæ facultates ferant: Unde in evidenti periculo versatur amittendi. et quod habet, & quod ipsi creditum fuit: poterit ne in hoc casu mutuans ratione hujus periculi cui sortem exponit aliquod lucrum a mutuatario exigere?

Res. 51. Non pauci Auctores existimant, in hoc casu licite aliquid ultra sortem à mutuatario exigi posse

posse dummodo concurrant duæ sequentes conditiones. Prima nempè, quod ratione hujus periculi non plus exigat a Mutuatario, quam exigeret alius, qui mutuum non daret pro ipsius periculi assicuratione. Secunda vero, quod admoneat mutuatarium, lucrum in pactu deductum ab ipso exigi solum ratione istius periculi, quia mutuum ipsi ita gratis dat, ut si fidejussoribus, vel pignoribus vellet illum securum reddere de sorte suo tempore recuperanda, nihil omnino lucri ultra sortem ab ipso exigeret. Hanc Sententiam sequentibus probant rationibus. Primo quia in in hoc casu periculum amittendæ sortis est titulus mutuo omnino extrinsecus, sicuti tituli lucri cessantis, & damni emergentis. Secundo quia Sagra Congregatio interrogata a Chinensibus Missionariis: Utrum Chinenses Fideles possent exigere aliquid ultra sortem mutuo datam ratione periculi, cui se exponunt eam ammittendi, propterea quod Chinenses mutuum accipientes sint regulariter homines dolosi, & fraudulenti, qui frequenter fidem datam non adimplent, & consequenter creditores in magno periculo versantur amittendi, quod ipsis crediderunt? Respondit usque dum aliud a Sancta Sede foret resolutum, non esse inquietandos mutuantes, qui hac de causa aliquid ultra sortem a mutuatariis exigerent, proportionatum tamen periculo, cui sortem exponunt, ita censet cumiliati Ligorius, & alii A. A. ab eo citati. Alii tamen A. A. adversam Sententiam amplectuntur, quam sequentibus rationibus probant. Primo, quia, cum in hoc casu nullum honestum motivum ocurrat mutuantes impellens ad dandum mutuo pecuniam præcipue in magna quantitate similis conditionis, hominibus, solum pecuniarum cupiditas est, quæ illos impellit ad mutuum elargiendum, ut sub hujus periculi pallio, possint a mutuatariis, quas vellint usuras exigere. Secunda ratio, quia

quia mutuum talis hominibus dare, est ipsis media præbere ad suas fraudes prossequendas, & hac de causa usuras ab iis exigere est illos usuris compellere, ut fraudes, & alia similia multiplicent unde usuras solvere possint. Hæc secunda ratio Authoritati Sancti Ambrosii præcipue innititur, qui Lib. de Tobia Cap. 14. c. 607. usurariis imputat fraudes, & injustitias perpetratas a Negotiatoribus, qui ab iis pecuniam sub usuris mutuo acceperunt. Hæc sunt Sancti Doctoris verba a Bened. XIV. fideliter relata de Syn. Diæ. lib. 10. cap. 4. n. 1. & Putas te pie facere, quia a Negotiatore velut munus suscipis? „ Inde ille „ fraudem facit in mer„ cium pretio, unde tibi „ solvat usuram.

„ Fraudis illius tu Auctor, „ tu particeps tibi pro„ ficit quidquid ille frau„ daverit: & esca usu„ ra est, & vestis usu„ ra est, & quodcumque „„ sorti accedit usura est. „ Quod velis ei nomen „ imponas usura est. Ad S. C. Decretum respondeant 1. esse dubiæ fidei 2. non esse absolutum, sed provisionale, & interinum, *quo usque aliud a sancta sede fuerit provisum*, qua clausula utitur sancta sedes, cum non vult, quæstionem aliquam dirimere; sed ejus resolutionem ad aliud tempus differe. relinquendo interim controversiam in statu in quo reperitur Hac clausula Gregorius XV. ut refert Guerra in epitome Pontif. con. lo. 4. de missioni. missionariis chinensibus concessit, ut possent non pauca fidelibus illius regionis tolerare, quæ posteriores Pontifices præsertim Clemens XI. & Benedictus XIV. melius cognito rerum statu absolute prohibuerunt, revocando omnes permissiones, & Licentias in his rebus a suis Prædecessoribus per obreptionem, vel supreptionem consecutas. Ex quo resultat hoc Decretum, quando revera prodiisset, tantum probare, opinionem Titulum hunc probantem non fuisse tunc temporis a Sede Apostolica expresse reprobatam, sed adhuc

adhuc toleratam; ut alia multa ritus Chinenses concernentia, quod ab his AA. minime negàtur. Opiniones autem a Sancta Sede solum tolerate, possunt ab AA. impugnari, & a Summis Pontificibus tandem reprobari, & expresse condemnari, ut experientia demonstrat in tot opinionibus damnatis, quæ alio tempore fuerunt permissæ, & toleratæ.

Int. Ex his opinionibus, quænam in praxi sequi a confessariis oportet?

Res. Secunda, quia si mu-
52. tuantes hominibus similis conditionis a Confessario interrogantur. Utrum vellent pecuniam gratis dare, si mutuatarii, datis fidejussoribus, vel pignoribus ipsos securos rederent de ea suo tempore recuperanda, statim respondent minime hoc facere vellem, quia ego ex mea pecunia vivere debeo, quo suposito supervacaneum est diutius super hac re immorari, cum in hac facti circumstantia, omnes A. A. mutuum usurarium pronuntient. 2. quia in praxi nunquam adimpletur secunda conditio ab hujus Tituli deffenssoribus requisita. Quis enim adèo efrons erit, qui negotiatori objicere coram audeat dubiam ejus, & periculosam in Comertio fidem, cui nemo possit pecuniam mutuo dare; quin se exponat extraordinario periculo eam amittendi; qua de causa si mutuum velit ad hujus periculi recompensationem necesse esse ut tale lucrum ultra sortem acceptam solvere promittat? Quis item negotiator non modo hæc patienter audiet, sed & his consentiet, & suam existimationem in Comercio abjiciet? Qui hæc sibi fingunt, imo, & scriptis venditant necesse est, quod & mercaturam, & mercatorum indolem prorsus ignorent. Demum Hispaniæ leges usum hujus Tituli & similium prohibent ex *leg.* 15. c. n. 18. transcripta. Explicato jam primo periculo sortis amittendæ quod periculum facti nominant, ad explicationem progrediamur alterius periculi, quod periculum juris dicunt.

Int. Quid est ergo pericu-

lum juris?

Res. 53. Est illud periculum amittendi sortem traditam, quod ex natura contractus mutui ad mutuatarium expectat, quia cum sortis traditæ, virtute hujus contractus Dominus evadat ad ipsum utilitates, & pericula sortis ipsius expectant. Unde si Negotiator, vel nauta qui pecuniam mutuo recipiunt, vel maris naufragio, vel hostium incursu, vel alio fortuitò casu eam amittunt, vel merces ea, pecunia emptas; semper debent sortem acceptam mutuanti integrè restituere, cum tempus restitutioni definitum advenerit: Cum ergo pacto, vel conventione aliqua particulari, in alium hæc pericula rejiciunt, qui obligatus remanet sortem Domino restituere si naufragio, incendio, vel alio fortuito casu perierit; tunc periculum „ quod iste subest, periculum juris nominatur, quia ex natura mutui contractus ad mutuatarium expectat.

Int. Potest ne mutuans hæc juris pericula in se assumere, & hac de causa aliquod lucrum a mutuatario ultra sortem exigere?

Res. 54. Potest sane hoc licitè facere dummodo duæ illæ conditiones concurrant, quæ deffensores periculi facti expostulant ad hujus tituli probationem, n. 51. explicavimus. 1. Nimirum, quod pro hujus periculi assumptione non plus exigat, quam exigeret alius, qui nihil mutuo daret pro ipsius periculi assumptione. 2. vero quod non det mutuum sub hac conditione assumendi in se, certo pretio hæc pericula; sed mutuum det gratis omnino, ita ut nullum onus mutuatario imponat secum ineundi hunc assecurationis contractum, sed mutuatarium prorsus liberum relinquat, hunc contractum cum alio quocumque negotiatore celebrandi. Si res ita peragantur, & mutuatarius sua sponte contractum assecurationis cum ipso mutuante velit inire, tunc potest mutuans ejus votis annuere, quia non est deterioris conditionis cæteris negotiatoribus.

Int. Non nè est hoc prohibitum à Greg. IX. in Cap. Ult. de Usuris his præcisè

sè verbis, quæ ibi leguntur: „ Naviganti vel eunti ad nundinas certam „ mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod „ suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem usurarius est censendus?

Res. 55. Nullo modo, quia hic non loquitur Pontifex de duobus contractibus, quorum unus ab alio non dependeat; sed de solo, & unico contractu: Non loquitur de mutuante, qui postquam mutuum gratis omnino dedit naviganti, vel eunti ad nundinas, ab ipsis rogatus, et eorum precibus annuens, cum ipsis celebrat contractum assecurationis sortis, quem cum quacumque alia persona poterant celebrare; sed solum loquitur de mutuante, qui renuit mutuum gratis dare, sed solum ad lucrum, ed ad honestandum hoc lucrum, quod ex contractu percipere intendit, pericula maritima in se assumit. Unde Gregorius IX. necessario debebat hunc contractum usurarium pronuntiare, quia mutuum ita gratuitum debet esse, ut mutuans, nihil omnino lucri ex ipso exigat, nec immediatè, nec mediatè, beneficio scilicet aliorum contractuum mutuo unitorum. Non potest mutuans (clamant uno ore omnes Theologi) imponere mutuatario onus aliquod pretio estimabile: ex quo inferunt, quod si aliquis gratis mutuum daret, sed mutuatario onus imponeret, vel molendi sua grana in mutuantis molendino, vel emendi in ejus officina pannos, & alias merces, quæ ipsi forent necessariæ, licet pro ipsis non deberet plus solvere, quam cæteri emptores, illicò omnes ad unum Theologi hunc mutuantem usuræ reum pronuntiarent, ratione utilitatis, & lucri, quod indirectè ex hujus mutui contractu consequitur, ope scilicet harum conditionum, & contractuum mutuo unitorum. Quo supposito renuentis naviganti, vel eunti ad nundinas pecuniam mutuo dare nisi sub hac conditione assumendi in se certo pretio viæ, & maris, & navigationis pericula, quibus pecunia credita exposita remanet,

necessariò Gregorius IX. debebat contractum usurarium pronuntiare.

Int. Est ne vera, & genuina ista hujus capitis interpretatio?

Res. Et vera, & genuina certò est, quia ex ipsius textus verbis clarè elicitur, & quia ut talem eam agnoscunt S. Antoninus, Silvester verb. usura §. 35. Molina de contract. Disp. 318. n. 1. Fagn. in com. ad hoc caput. Gonzalez in eodem cap. n. 8. quorum sententiam videtur amplecti Benedic. XIV. de Syn. Diæc. lib. 10. Cap. 7. n. 5. 56.

Int. Nonnè deficit in hoc textu particula non? ita ut debeat legi, non, *usurarius est censendus*, sicuti modo legitur; sed usurarius non est censendus?

Res. Nullo modo. 1. Quia si hoc verum esset, textus iste, ut nunc in juris Canonici corpore legitur, errorem in morum doctrina contineret, pronuntiando, usurarium esse contractum, qui ab usura immunis est, quod nullo modo Pontifices Summi tolerarent: hoc enim esset scienter Fideles decipere, & in errorem inducere, in materia inter ipsos, qui loca maritima incolunt adeò frequenti, ut hæc nautici fœnoris. 2. Quia Gregorius XIII. ad Christi fideles in recta, et Catholica fide continendos, & ad subtrahendum ab eis omnem errandi occasionem, corrigere, & emmendare fecit totum juris canonici Corpus per viros pios & Sapientissimos, & sic correctum, & à mendis expurgatum Romæ imprimere fecit, & jussit, ut omnes fideles reciperent jus canonicum sic correctum, et emmendatum uti prodibat in illa Romana impressione, & insuper sub gravissimis pœnis prohibuit nè aliquis auderet in ipso aliqua addere, detrahere, vel immutare, sicut constat ex Bulla dicti Pontificis die 7. Julii anni 1580. expedita, que in fronte hujus Romanæ impressionis juris canonici legitur. Cum ergo in hac Romana juris Canonici impressione, & in ceteris quæ deinde factæ sunt legatur in hoc textu Cap. ultim. de Usuris *usurarius est censendus*, omnes Fideles debent hoc modo textum reci- 57.

pe-

pere: Et si qui prætendunt mendosum adhuc esse, & ibi deficere particulam non graviſſimam injuriam Gregorio XIII., & ejus Successoribus certissime irrogant, erroris notando doctrinam, quam universis judicibus Ecclesiasticis proponunt ut sanam, rectam & ab omni errore immunem, cui in suis sententiis se omnino debeant conformare. Non negamus, in Decreto Gratiani, & alibi aliquas reperiri à Criticis Equivocationes, ut cum, exempli gratia, tribuunt Augustino sententiam aliquam, quæ revera ex operibus Sancti Fulgentii dessumpta est, aut cum verba, quæ compilatores in canone transcribunt non exactè respondent originali, unde ea hausisse testantur, istæ enim æquivocationes, & aliæ similes nec fidem, nec mores fidelium offendere poterant, dummodo doctrina in corpore juris contenta Catholica esset, & ab errore prorsus immunis, qui fuit hujus correctionis præcipuus finis, ut ipse Gregorius expresse testatus est initio dictæ constitutionis his verbis: „ Cum pro „ munere Pastorali hu„ meris nostris injuncto, „ id præcipuè nobis pro„ positum habeamus, ut „ omni studio, diligen„ tiaque omnes Christi fi„ deles, his præsertim „ gravibus, calamitosis„ que temporibus, *in re„ cta, et Catholica fide „ continere curemus: ac „ propterea id in primis „ nobis agendum et pro„ videndum sit, ut om„ nem omnibus aberran„ di ab ea occasionem „ subtrahamus. Dudum „ ad hujus rei executio„ nem ::: Decretum Gra„ tiani: :: Cum Decreta„ libus Gregorii Papæ IX. „ Prædecessoris nostri se„ xto. Clementinis, & „ Extravagantibus, non „ modo cum veteribus „ glosarum Authoribus „ quibus, cum viri pii, „ & Catholici fuerint i„ gnoscendum videtur, „ si quid, vel ob erro„ rem in illis, vel quia „ nondum pleraque, a „ Sacris Conciliis defini„ ta fuerunt liberius lo„ cuti sunt: verum etiam, „ cum his, quæ ab im„ piis Scriptoribus, tam

 „ extra

„ extra in marginibus ,
„ quam etiam intra as-
„ persa fuerant Catholi-
„ cæ veritati contraria ,
„ revidendi , corrigendi ,
„ & expugnandi curam
„ demandavimus .

3. Quia Sanctus Rajmundus ad quem Greg. IX. hanc decretalem misit , ut ex his litteris F.R.quæ supra hunc textum reperiuntur clarè colligitur , legit hanc decretalem , ut modo in juris canonici corpore invenitur, absque dicta particula *non* . Tractans enim in sua Summa , lib. 2. tit. 7. §. 5. de usu , & pigno, de hoc maritimo contractu , & sententiam amplectens , quæ eum , ut usurarium rejiciebat , ea ratione , *quod mercatores semper eum iniebant cum intentione lucri , et quia hoc erat in fraudem usurarum* , quia scilicet sub horum periculorum , quæ in se pacto pretio assumebant obtentu , lucrum ex usu ipsius pecuniæ mutuo datæ exigebant , his verbis caput concludit : *Hodie expressa est decretalis in cap. Naviganti de usuris* . Quæ clarè ostendunt certissime sibi persuasisse quæstionem a Gregorio IX. jam definitam esse, & contractum , ut usurarium à Sancta Sede remanere rejectum . 4. Quia ut testatur Gonzalez , quem citat , & sequi videtur Benedic. XIV. loco supra citato : in omnibus codicibus antiquis manuscriptis legitur hæc Decretalis , ut legitur in impressis absque particula non . Et demum , quia ut advertit Cardinalis de Luca , de Usuris p. prima Discur. 3. de Cambio maritimo : Omnes antiqui Canonistæ , Innocentius Abbas Gofred. legunt in hoc textu : *Usurarius est cencendus* . Unde universalis Canonistarum traditio est , hoc textu damnari nautificum fænus , quod leges civiles Romanorum admittebant , & probabant , ficuti constat ex titulis de Nautico fænore . Hæ rationes hanc sententiam certam , & indubitatam omnino reddunt .

Int. Cum aliqui reperiantur A. A. , qui hunc textum corrigendum esse adhuc existimant , Quam rationem afferunt ad suæ opinionis probationem?

Res. Hanc nimirum particu-

lam *quoque*, quæ immediatè post verba adducta legitur, & hunc casum cum sequentibus quodammodo connectit, denotare contractus in hoc capite expositos non dissimilis esse conditionis, primus scilicet usurarius; reliqui vero liciti & honesti: in hoc enim casu, non particula quoque, sed particula vero, quæ dissimilitudinem indicat casus, fuisset apponenda. Hæc est non modo potissima; sed et unica ratio, quæ hos A. A. induxit ad evulgandum, hanc Decretalem mendosam esse, & correctione indigere, quæ tamen futilis omnino, & nullius momenti est. Quis enim ignorat illo tempore, quo expedita fuit hæc decretalis, non adeo accuratè, & perfectè ac nunc homines latine loqui. Apud omnes etiam in comperto est compilatores Decretalium non integras decretales in compilatione inseruisse; sed multa ex iis, quæ necessaria non videbantur, quia forte in aliis capitibus clarè remanebant decisa reliquisse, seu resecasse. Potuit ergo evenire in hac Decretali, quod in aliis certo factum constat, ut nimirum compilator aliqua ex ea resecaverit: unde potuit quam optime fieri, ut pars omissa contractus licitos, & honestos contineret sicuti continet ultima pars decretalis relicta; ac proinde quod recte Pontifex, qui integram evulgaverat, apposuerit particulam, quoque, quam compilator intactam reliquit.

Int. Præter titulos expositos, nimirum lucri cessantis, damni emergentis, & periculi amittendæ sortis, non ne sunt alii, qui mutuo aliquando sociantur?

Res. 59. Varii certo sunt, et A. A. aliquos adducunt, & primus est titulus pœnæ conventionalis, cum nempe mutuans, certam quantitatem nomine pœnæ a mutuatario sibi solvendam stipulatur, si sortem mutuo acceptam præstituto tempore non restituat.

Int. Est ne licita in mutuo hæc pœnæ adjectio, & potest licitè a mutuante exigi cum mutuatarius revera sortem præstituto tempore non reddit?

Res. Hanc pœnæ adjectionem 60. in mutuo Hispaniæ leges prohibere ut usuræ tegumentum; & tantum mutuantibus permittunt stipulare recompensationem omnium damnorum, & expensarum, quas creditor ob dilatam sortis restitutionem patiatur: Pœna ergo, quæ stipularetur nunquam modum hujus recompensationis excedere posset, ut A. A. hunc tit. admitentes testantur. Leges ipsæ Romanorum, quæ usuras in determinata quantitate probabant, hanc pœnæ adjectionem in mutuo damnabant; in quantum modum legitimarum usurarum, ut ipsi loquebantur, excedebat. En verba legis 44. ff. de usuris: *Pœnam pro usuris stipulare nemo supra modum usurarum licitum potest*: Qui ergo hanc pœnam adjiciunt, usuræ coram Deo rei sunt cum hanc pœnam non apponant, nisi sub spe aliquid ex contractu mutui lucrandi, quod Dominus in Evangelio prohibet.

Int. Quid dicendum est de titulo lucri advenientis, à Josepho Maria Nafarrondo noviter producto in suo opere typis Matritensibus in lucem edito, cui titulus est: Comercii augmentum cum Conscientiæ securitate: consistit hic titulus in utilitate, quam mutuatarius ex mutuo percipit, & in lucro quod reportat ex usu pecuniæ mutuo acceptæ, potest ne mutuans ratione istius tituli aliquid ultra sortem à mutuatario exigere?

Res. Nihil omnino ratione 61. hujus novi tituli lucri advenientis, a mutuatario potest ultra sortem exigere absque usuræ vitio: Usuræ enim peccatum ut n. 14. dictum est in eo precisè consistit, quod mutuator exigat à mutuatario aliquid ultra sortem ratione favoris, & benefitii, quod mutuum dando ipsi impertitur, & ratione utilitatis, & lucri, quod ex usu ipsius pecuniæ mutuo acceptæ mutuatarius reportat hunc ergo titulum inducere est usuras aperte probare. Hec est res adeo perspicua, ut ulteriori discusione non indigeat.

Int. Est ne semper usuræ reus, qui percipit lucrum ex usu pecuniæ, quam al-

alteri tradit?

Res. Est semper usuræ reus, 62. quando lucrum ex mutuo percipit, ab hoc tamen delicto immunis erit, si pecuniam traditam collocet in aliis contractibus à mutui contractu diversis, ut Benedic. XIV. in citata Encyclica vix pervenit num. 10. declaravit.

Int. Qui sunt hi contractus natura à mutui contractu diversi?

Res. Contractus emptionis, 63. & venditionis, contractus societatis, contractus cambii, vel manualis, vel localis, & per litteras, contractus census realis perpetui, & alii multi.

Int. Quid est emptionis, & venditionis contractus?

Res. Est contractus in quo 64. emptor se obligat ad dandam certam pecuniæ quantitatem venditori pro merce, seu rè, quam ab ipso dicto pretio emit, & vicissim venditor, se obligat ad dandam emptori rem, seu mercem, quam pro dicto pretio ipsi offert. Hic contractus est omnino diversæ naturæ à mutui contractu, quia emptor, qui pecuniam dat, nullum jus habet ad eam postea recuperandam, sicuti in mutuo contingit unde deficit in hoc contractu tertia ex illis tribus conditionibus, quæ n. 2. diximus essentiam mutui constituere.

Int. Potest nè hic emptionis, & venditionis contractus cum mutuo aliquando concurrere, & ipsi uniri?

Res. Potest sanè, & non rarò 65. revera hi contractus uniuntur, 1. cum mutuator mutuum gratis dat, sed cum onere, quod mutuatarius debeat in sua officina emere merces, quibus indiget. 2. quando emptor consentit pretio a venditore pro mercibus petito, sub pacto, quod venditor ipsi gratis mutuo det, quantitatem, qua indiget. In his, & similibus casibus, emptionis, & venditionis contractus cum contractu mutui unitur. Et hæc contractuum unio facit, ut hic modus contrahendi usurarius censeatur.

Int. Hic emptionis, & venditionis contractus potest talibus pactis, & conditionibus iniri, quæ ipsius naturam immutent, & eum in contractum mutui

tui convertant.

Res. 66. Potest hoc non rarò evenire, & revera evenit in contractu, quem Mohatram vocant, & in aliis multis casibus mox explicandis.

Int. Quid est contractus Mohatra?

Res. 67. Est contractus in quo venditor, rem venditam tradit emptori prætio supremo fide habita de pretio, sub pacto, & conditione quod eandem rem rursus pretio infimo ab ipso emet pecunia numerata.

Int. Est ne licitus hic contractus?

Res. 68. Non pauci A. A. eum ut licitum defendebant. Enrationes, quas ad probandam suam sententiam adducebant. Lucrum quod hic reportat, qui pecuniam dat, ex una parte ab usura est immune, quia usura solum in mutui contractu reperitur. Hic verò nullum mutuum adest, sed duplex emptionis, & venditionis contractus: Rursus lucrum hoc justum, & æquum est ex duobus contractibus justis, & honestis procedens, quia licitum est merces pretio supremo vendere, & licitum est, easdem merces pretio infimo emere. Nihilomninus Inno. IX. 12. Martii 1679. hanc opinionem improbavit damnando propositionem 40. his verbis conceptam. *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeviae inito cum intentione lucri*,

Int. Quare Ecclesia Romana hanc propositionem damnavit?

Res. 69. Quia hi duo contractus invicem uniti, & celebrando primum, sub pacto celebrandi postea secundum mutuum usurarium continent, & ope istorum contractuum, qui pecuniam tradit idem consequitur ac si directè, & palam pecuniam daret ad usuram. Et quia in hoc duplici emptionis, & venditionis contractu reperiuntur illa quatuor, quæ essentiam mutui usurarii constituunt. 1. nempe materia contractus mutui, pecunia scilicet, quæ traditur. 2. facultas, quæ mutuatario datur illa utendi, & ad sui utilitatem expendendi

di. 3. Onus, quo ipsi traditur, restituendi nimirum eandem quantitatem tempore præstituto. En tria, quæ essentiam mutui constituunt, quibus adjicitur 4. Obligatio nimirum solvendi Creditori illud lucrum, & incrementum, quod prætium infimum acceptum cum supremo promisso æquat, quod lucrum contractum usurarium constituit.

Int. In venditionibus, quæ fiunt habita fide de pretio reperitur nè usura palliata?

Res. 70. Cum venditor, quia tempus ad solvendum creditori concedit, ab eo exigit pretium multò majus, quam exigeret Si pecunia numerata venderet, reus usuræ evadit, uti expresse declaravit Urb. III. in Cap. 10. de Usuris.

Int. Licitum nè est merces pretio supremo vendere cum emptori dilatio temporis ad solvendum conceditur?

Res. 71. S. Antoninus Nat. Alex. Patuzzi, & communiter Theologi censent licitas, & ab usura immunes esse has venditiones: quia cum licitum sit pretio Supremo numerata pecunia vendere paritèr licitum erit eodem pretio vendere fide habita de pretio, nec favor ille, quem venditor impendit emptori, temporis dilationem ad solvendum pretium ei concedendo, ipsum impedit, quominùs ex suis mercibus possit exigere illud pretium, quod exigere posset, si pecunia numerata venderet; & licet venditor paratus sit minori pretio merces vendere, si illico earum pretium solvatur, adhuc tamen (inquit Sanctus Antoninus quem citat, & sequitur Natalis Alexander) potest majori pretio eas vendere fide habita de pretio, dummodo hoc incrementum, limites justi pretii non excedat, quia non tenetur facere eam gratiam, & remissionem de pretio justo ad favorem ementium fide data de pretio, quam facit in favorem eorum, qui numerata pecunia emunt. Si tamen discrimen pretii grave esset, tunc contractus isti de usura revera suspecti forent, & mer-

ca-

catores essent suadendi, ut ab illis abstinerent. Qua de causa Alexander III. in Cap. 6. de usuris de mercatoribus loquendo, qui 6. vendunt suas merces, fide habita de pretio, tempore, quo dictæ merces tantum 5. valent, inquit, quod licet hoc solo motivo non debeant usurarii reputari, attamen, peccatum committunt, nisi incertum sit utrum merces tempore solutionis plus essent valituræ, quam tempore contractus, qua de causa tales negotiatores admonet, ut a similibus contractibus abstineant si velint sue Conscientiæ rectè providere.

Int. Emptores, qui pecunia numerata emunt merces alio tempore tradendas, sunt usuræ rei, si minoris emunt, quam reverà valent tempore contractus?

Res. Hic casus a Gregorio IX. 72. expresse decisus est in Cap. ult. de usuris his verbis. „ Qui dat decem solidos, ut alio tempore „ totidem sibi grani, „ vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, „ verum plus, vel minus solutionis tempore „ fuerint valituræ verisimiliter dubitatur, non „ debet ex hoc usurarius „ reputari. Ratione hujus dubii (prosequitur „ Pontifex) etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, „ vel alias merces vendit, ut amplius quam „ tunc valent in certo „ tempore recipiat pro „ eisdem, si tamen ea „ tempore contractus „ non fuerat venditurus.

Int. Emptiones, quæ fiunt cum pacto retrovendendi degenerant nè à vero emptionis contractu, & naturam contractus mutui induunt?

Res. Minimè. 1. Quia emptor non potest venditorem obligare ad iterum rem emendam, nec ad pretium acceptum restituendum. 2. Quia pericula rei emptæ ad emptorem expectant, eodem modo, ac si venditio perpetua, & absoluta fuisset, pactumque de retrovendendo abesset. Qua de causa, etsi venditor simul cum contractu venditionis alium conductionis rei venditæ ineat, cujus ope rem venditam apud

pud se retineat, solvendo interim emptori certam annuam pensionem, tanquam rei conductæ prætium, adhuc in mutuum in foro conscientiæ non transit, quia locationis contractus præcedentem emptionis minime destruit, At verò in foro exteriori sepè usurarius præsumitur, præsertim Concurrentibus aliquibus conjecturis, quæ animum fœnerandi indicant, ut docet Bened. XIV. de Sin. Diæ. lib. 10. cap. 8. si tamen venditio ita inita foret, ut liberum esset emptori prætium à venditore recuperare, ipsum obligando ad emendum rem venditam, tunc profectò emptionis, & venditionis contractus ita initus in mutuum usurarium degeneraret, quia non reverà emptionis, et venditionis, sed pignoris potius contractus esset, ut ex dicendis n. 91. clarè apparebit.

Int. Possunt nè venditores licitè pacisci, quod emptores apud se retineant pretium promissum usque dum illud venditores petant, & quod interim solvant quantitatis promissæ interesse consuetudine definitum, ut tria in centum?

Res. Communior A. A. sententia tenet pactum hoc usurarium esse: hic enim mutuum implicitum, seu virtuale intercedit, quia hoc facere, idem est ac si emptor pretium incontinenti venditori solveret, & illud venditor rursus emptori mutuo daret. Cardinalis tamen de Luca, hac distinctione nihilominus respondet: aut enim, inquit, illud interesse, quod emptor respondet, quia pretium non solvit, valorem fructuum, vel reddituum, ex re empta perceptorum deductis expensis superat, & tunc illud interesse, quatenus fructus excedit usurarius est, quia ratione pretii non soluti percipitur; vel interesse quod respondet, fructus ex re vendita resultantes non excedit, & tunc censet usurarium non esse; supponendo ad excludendam usuram, venditionem illam, tunc non esse perfectam, nec contractum aliud esse, quam simplicem vendendi promis-

missionem, quæ effectum minimè habebit usque dum pretium persolvatur. Hic discursus, ut sustineri valeat opus est, quod pericula rei venditæ, & prætii ipsius diminutio, quæ forte eveniat ad venditorem expectet, & non ad emptorem, cum venditio in tali hipotesi, ut supponitur non sit facta, sed unicè Dominus eam facere promiserit; Cum tamen hoc nusquam fiat, ad honestandum hoc lucrum, necesse est, quod census perpetuus ex pretio promisso in re vendita rite constituatur.

Int. Possunt nè Negotiatores vendere merces dato emptoribus tempore ad solvendum, cum pacto, quod si pretium promissum præstituto tempore non solvant, debeant ipsis interesse quantitatis promissæ solvere ad rationem 6. in 100., ad annum pro tempore quo solutionem diferunt?

Res. 75. Pactum hoc hujusmodi emptionibus unitum, illicitum, & usurarium est. 1. Quia venditor ignorat utrum solutionis tempore oportunas occasiones habebit utiliter, & fructuose eam quantitatem erogandi, & utrum aderunt omnes conditiones, quæ ad honestandum lucrum cessans concurrere debent. 2. quia forte emptor justam habebit excusationem ad solutionem differendam propter damna quæ adversante fortuna passus est, ita ut illud interesse absque gravissima rei suæ jactura, solvere non possit. Hinc certum lucrum initio contractus pacisci etiam prætextu lucri cessantis, & damni emergentis, vel quocumque alio, Leges Hispaniæ prohibent ut n. 18. dictum est.

Int. Possunt Chirographa, vel alia credita minoris emi, quam reipsa valent, si sunt incerta, illiquida, & difficilis exactionis?

Res. 76. Communis A. A. Sententia defendit, hujusmodi Creditorum emptiones, jure naturæ spectato licitas esse, veruntamen jure positivo nullæ, & irritæ sunt ut constat ex leg. 22., & 23. Cod. mandati, quæ in appendice transcriptæ sunt.

Int. Hæc juris Civilis dispo-

si-

sitio est ne in Hispania recepta ?

Res. Certè recepta est, & in-
77. concussè in tribunalibus observatur, & præcipuè in Regia Cathaloniæ Audientia, in qua omnibus casibus occurrentibus judicatur juxta harum Legum 22., & 23. dispositionem, nihil faciendo pacta, & conventiones, quibus contrahentes nituntur has leges eludere. Et idem in cæteris Regni Tribunalibus observabitur, cujus rei, certissimum argumentum est, quod cum Carolus IV. Feliciter regnans, initio regni sui declaraverit legitima omnia debita à Piissimo Carolo III. causata, expresse protestatus est, quod Cessionarii horum Creditorum, si ex causa onerosa cessionem obtinuissent, non ipsis pro legitimo credito admitteretur, nisi quantitas, quæ verè, & realiter ab ipsis persoluta fuisset ad talem cessionem obtinendam præcipiendo ut ab ipsis super hac re reciperetur juramentum, ipsos admonendo, quod debitam pænam non evaderent, si in his dolosi, & Fraudulenti reperirentur.

Int. Est ne licitum emere credita, seu chirographa minori pretio, quam valent, ob anticipatam solutionem ?

Res. Vel credita ista sunt il-
78. liquida, & difficilis exactionis adhuc adveniente tempore, quo solvi debent, aut sunt certa, liquida, & facilis exactionis adveniente tempore solutioni prefixo ? Si primum dictum jam est omnes istas cessiones, & creditorum venditiones a jure improbari, & irritas, & nullas haberi. Si secundum, omnis crediti diminutio fieret ratione dilationis temporis & ab implicito mutuo procederet, supponendo pecuniam præsentem, & numeratam majoris valoris esse quam numerandam, & quod hac de causa poterat creditor aliquid ultra sortem debitam a suo debitore exigere, quod ab Innocentio XI., re probatum est in propositione 41., quæ his verbis constat : *cum pecunia numerata pretiosior sit numeranda, nullusque sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam*

quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari: Unde manifestum est emptorem non posse hanc crediti diminutionem in suum commodum convertere, & creditum integrè à debitore exigere, quin in delictum incurrat.

Int. Quomodo ergo sustinentur hæ Chirographorum cessiones, quæ hispano sermone: nunc *endosos*, nunc, *descuentos de vales, y de letras de cambio* nominantur, quæ inter mercatores adeò communes sunt?

Res. 79. Sustinentur hæ creditorum cessiones, quia non censentur esse istorum creditorum venditiones; sed tantum puras creditorum delegationes: Unde si ille in cujus favorem Creditor Chirographum cedit, creditum à debitore percipere non potest, regressum habet contra Creditorem cedentem, ita ut cessiones istæ, quæ numerata pecunia obtinentur, aliud non sint, quam verum mutuum, in quo, qui pecuniam tradit eam mutuo dat accipienti, qui in illius favorem Chirographum suscribit, ut Chirographum sit ei pignoris loco pro securitate pecuniæ mutuo traditæ, unde si constaret has cessiones minori pretio esse consecutas, quam valet Chirographus, ut usurariæ illicò à Tribunalibus essent rejiciendæ.

Int. Quid est locatio, & conductio?

Res. 80. Est contractus, in quo quis certo pretio, vel mercede rem aliquam alteri utendam, vel fruendam ad determinatum tempus concedit.

Int. In quo hic locationis; & conductionis contractus à contractu mutui distinguitur?

Res. Distinguitur 1. In materia contractus, materia enim locationis sunt, res, quibus uti possumus salva earum substantia, hoc est, quin consumantur, aut alienentur, ut Domus, Animalia, supellex, agri, & similia, materia autem mutui sunt res, quibus uti non possumus, quin consumantur, aut alienentur, ut triticum, vinum pecunia, & alia sicuti in nu-

me-

mero 2. explicatum est. 2. quia conductor finito tempore conductionis debet res ipsas ad utendum, vel fruendum acceptas, locatori restituere, attamen in mutuo non rem ipsam acceptam, sed aliam quantitate, & qualitate, æqualem restituere mutuanti tenetur.

Int. Potest ne contractus locationis aliquando cum contractu mutui conjungi, & etiam aliquando exuere quodammodo suam locationis naturam, & naturam contractus mutui assumere?

Res. 82. Potest in multis casibus certè contingere.

Int. Ostende mihi aliquos casus, in quibus contractus locationis cum contractu mutui conjungatur?

Res. 83. Conducit aliquis domum 100. aureis in singulos annos sub pacto, & conditione, quod locator præter domum, quam Conductori concedit, debeat illi etiam mutuo dare 2000. aureos finita locatione domus reddendos. Locat alius ad quinquenium Domum in qua reperitur oficina plena Saccaro, cinnamomo, & aliis similibus mercibus valoris 4000. aureorum cum pacto, quod Conductor durante tempore conductionis non modo possit uti domo, sed etiam saccaro, Cinnamomo, & aliis mercibus in Oficina repositis, sub onere, quod conductione finita debeat in ipsa oficina, equalem mercium quantitatem locatori relinquere. In his casibus locatio cum mutuo conjungitur, & pretium, quod à conductore persolvitur, non modo pro usu domus, sed etiam pro usu rei mutuo simul traditæ persolvitur, ac propterea hi contractus mixti ex locatione, & mutuo illiciti, & usurarii sunt. Attamen post quam celebrati jam sunt, si quæritur quid locator debeat conductori restituere, attendi debet valor usus Domus locatæ a mutuo seiunctus, & quid pro hoc usu Conductor solvisset, si unà cum Domo, nihil sibi mutuo datum fuisset, nec in oficina merces reperisset, quas cum ad suam utilitatem expendere posset, non expendit, & hoc solum potest Locator sibi retinere,

reliquum autem quia pretium mutui est, conductori restituere debet.

Si vero Domus locata supellectili ornata esset, & Conductori facultas ea utendi simul foret tributa, tunc pretium locationis ex hoc capite absque usura augeri posset, quia supellex materia est contractus locationis non minus quam Domus.

Int. In quibus casibus contractus locationis suam peculiarem naturam amittit, & in contractum mutui convertitur?

Res. 84. In casu quo res locatæ estimate conductori tradantur, ita ut finito tempore contractus libere possit Locator a conductore exigere ultra locationis pretium, vel res ipsas traditas, vel valorem, seu pretium, quo fuerunt estimatæ; quia hoc idem est, ac si eas vendidisset Conductor fide habita de pretio, & ab eo quoad pretium solveretur certum lucrum exegisset, quod certe paliatum mutuum usurarium contineret, cum rei traditæ periculum ad ipsum emptorem, seu conductorem expectaret ut n. 73. dictum est.

Int. Boves Agricolis locare certis mensuris frumenti ad annum, est nè licitum cum boves estimati traduntur; Itaut damnum, vel diminutio, quam in valore patiantur ad agricolas conductores, & non ad Locatorem expectet?

Res. 85. Contractus iste Usurarius est, uti rationes numero antecedenti expositæ clarè demonstrant, veruntamen si paciscantur, quod diminutio, vel damnum, quod decursu temporis boves patiantur, sit comune inter Dominum, & conductorem, & inter ipsos æquis partibus dividatur, tunc contractus ab usura liber evadit, ut docet Benedic. XIV. de Syn. Diæ. lib. 19. Cap. 3. in hoc tamen casu bovum Dominus integram mercedem pro locatione eorum exigere non potest, sed tantum medietatem mercedis, quam juxta loci consuetudinem exigere solent, qui boves absque hac conditione locant: quia pro parte, in qua estimati traduntur nihil accipere potest.

Int.

Int. Quid est depositum ?

Res. Est contractus, in quo
86. res alteri custodienda traditur.

Int. In quo pecuniæ, & aliarum rerum, quæ usu consumuntur depositum, à contractu mutui distinguitur ?

Res. In eo, quod depositarius non potest uti, hoc
87. est non potest consumere, vel expendere res, quas in depositum recipit, sed debet fideliter eas custodire, & postea deponenti in propriis corporibus, ut dicitur reddere. Mutuatarius verò, & consumere, & expendere potest res, quas mutuo accepit, cujus rei consequens est, quod non debeat ipsas res acceptas, pro ut sunt, seu in propriis corporibus Mutuatoribus restituere, sed alias in qualitate, & quantitate receptis æquales.

Int. Si deponens pecuniam apud Negotiatorem facultatem Negotiatori impertiret eam suis negotiis impendendi sub onere tamen restituendi suo tempore in omni eventu acceptam quantitatem, celebraret tunc depositi contractum ?

Res. Non depositi, sed mu-
88. tui contractum celebraret : unde si pro hac facultate impertita, erogandi nempe ad sui utilitatem traditam quantitatem, aliquid lucri ab ipso exigeret, tunc mutuum usurarium celebraret.

Int. Quid est Pignus?

Res. Est Contractus, quo res
89. Creditori traditur in securitatem debiti.

Int. Potest nè creditor uti rebus mobilibus ipsi pignori datis, in sui Crediti securitatem ?

Res. Non potest illis uti; si
90. vero utitur, debet congruum prætium pro ejus usu Debitori solvere, vel in extinctionem sui Crediti, pretium pro usu pignoris debitum computare.

Int. Fructus ex re immobili Creditori in pignus data pro debiti securitate, sunt ne ipsius Creditori ?

Res. Minimè, fructus enim
91. ex re pignori data procedentes ad ipsius Dominum expectant, & creditor, qui percipit fructus ex re sibi pignori obligata, debet illas in sui crediti extinctionem computare, ut expressè

declaravit Inn. III. in Cap. 6. cum contra de pignor.; & Alexander III. in Cap. 1. de usuris. Et si quis, inquit „ alicujus „ possessionem data pecunia, sub hac specie, „ vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam deductis expensis, de fructibus „ jam percepit, absolute „ possessionem restituat „ debitori, si autem aliquid minus habet, eo „ recepto, possesio liberè ad Dominum revertatur; quod si post „ hujusmodi constitutum, in Clero quisquam extiterit, qui „ detestandis usurarum „ lucris insistat Ecclesiastici Offitii periculum „ patiatur, nisi forte Ecclesiæ Benefitium fuerit, quod redimendum „ ei hoc modo de manu „ Laici videatur „ quam exceptionem Pontifex subiicit: quia in hoc casu Clericus percipit fructus rei in pignus datæ non ratione crediti, & tamquam ejus fructus, sed ratione benefitii; cum asseratur rem illam in pignus datam, ad Ecclesiam jam expectare, & Laicum injustè eam detinere: ac proinde fructus ex ea resultantes non ad Laicum injustum possessorem pertinere, sed ad Clericum obtinentem beneficium in Ecclesia, ad quam ea res expectat.

Int. Innocentius III. Cap. 16. de Usuris, declarat Maritum non teneri computare in sortem, fructus resultantes, ex re sibi in pignus tradita, in dotis promissæ securitatem his verbis: „ Sanè Gene„ rum ad fructus Pos„ sesionum, quæ sibi a „ Socero sunt pro nume„ rata dote pignori obli„ gatæ computandos, in „ sortem non credimus „ compellendum; cum „ frequenter dotis fru„ ctus non sufficiant ad „ onera Matrimonii sup„ portanda: Ergo Creditor non tenetur fructus pignoris in sortem computare,

Res. 92. Generum non percipere fructus rei sibi a Socero traditæ in pignus dotis promissæ, tamquam dotis redditus, sed tamquam annua pensio, sibi ultra sortem a Socero data, ad onera matrimonii sustinenda; ita ut hi fru-

fructus a Socero cessi censeantur, non tamquam interesse dotis non solutæ, sed tamquam dotis augmentum; ut indicant illa verba: *Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii sustinenda.*

Int. Si Debitor libere consentiat, quod Creditor percipiat, & suos faciat fructus, ex re pignori data, procedentes quò usque debitum solvat; potest nè tunc licitè fructus percipere, & suos facere?

Res. Minimè, quia hoc esset
93. in Usuram Creditorem consentire: Usura autem, ut dictum est numero 33. illicita est, et si Debitor in eam consentiat, & spontaneè illam solvat.

Int. Licitum nè est in pignore pactum, quod vocant legis commissoriæ, vi cujus creditor pignoris Dominus efficitur, si Debitor præstituto tempore debitum non solvat, & pignus redimat?

Res. Hoc pactum jure cano-
94. nico improbatum est, ut constat ex cap. Significante de pignor.; quia communiter res pignori data, majoris valoris est, quam creditum, pro cujus securitate est traditum.

Int. Quid est contractus Societatis generatim acceptus?

Res. Est duorum, vel plu-
95. rium conventio Contribuendi ad commune lucrum, & damnum secundum proportionem rerum contributarum. Ita Benedic. XIV. de Syn. Diæ. lib. 10. Cap. 7. n. 1.

Int. Dare pecuniam mutuo negotiatori, ut eam negotiationi exponat, est idem ac pecuniam ipsi tradere Societatis nomine, ut negotiationi impendat?

Res. Minime quia cum pecu-
96. nia Mercatori Societatis nomine traditur, ipsius tradentis periculo negotiationi exponitur; Cum vero pecunia mutuo datur Negotiatori, ut eam agitandis negotiis impendat, tunc non exponitur negotiationi periculo mutuantis, sed periculo mutuarii, qui in omni eventù debet sortem acceptam restituere, & si infortunio negotiationis totum amisserit. In hoc igitur stat tota differentia inter contractum mutui, & societatis, quod pe-

cunia mutuo data mutuatario perit ; pecunia vero in societate collata non perit socio accipienti , sed socio eam conferenti : ut ex tradita Societatis deffinitione perspicuè constat .

Int. Est nè licitum lucrum exigere ex usu pecuniæ in societatem collatæ ?

Res. 97. Licitum omnino est , & ab usura prorsus immune, quia socius conferens pecuniam in societatem lucrum percipit ex usu pecuniæ , quæ suo periculo negotiationi exponitur : Proindeque ex pecunia , cujus Dominium penès se retinet : sicut enim si pecuniam per semetipsum negotiationi exponeret , posset fructum , & lucrum honestum ex negotiatione reportatum , licite sibi retinere : sic etiam potest retinere lucrum reportatum ex usu suæ pecuniæ , negotiationi ejus periculo , & ejus nomine a sociis expositæ , quia , qui per alium facit , per se ipsum facere videtur .

Int. Est nè licitus Contractus Societatis duplex , in quo certum annuum lucrum , durante societate a Socio sortem accipiente , socio eam tradenti assecuratur , ut hoc modo Socius pecuniam accipiens , liberetur ab exacta , & rigurosa computorum redditione ?

Res. 98. Jure Naturæ expectato , hoc licitè fieri potest dummodo sors , seu Capitale periculo tradentis negotiationi exponatur : ita ut a Socius accipiens sortem acceptam totam in negotiatione amisserit , nihil debeat restituere ; si vero non integram sortem amiserit , sed partem ejus tantum , tunc solum partem servatam restituat ; quia cum in hoc casu , sors negotiationi , periculo Socii tradentis , exponatur , retinet tradens penès se ipsius Dominium : ac proindè justè suum facit lucrum ex usu pecuniæ reportatum . Nihilominus Contractus hic periculosus est , cum Societas solum inter duos iniatur ; nempè inter dantem pecuniam , & accipientem ; quia hoc pactum de lucro annuo socio assicurando solet societati adiici ad usuram obtegendam , quia Negotiatores , qui pecuniam re-

recipiunt, eam negotiationi exponunt ac si mutuo accepissent, rationes Societatis nunquam reddunt, nec pecuniam impendunt negotiis in societatis contractu præscriptis, sed ea ad libitum utuntur. Unde numquam potest sciri utrum ex negotiatione lucrum, aut damnum reportaverint; hoc enim studiose Negotiatores occultant, nè secreta comertii, socio pandere debeant; ex quo fit, quod duorum contractuum circuitus solum ad obtegendam usuram fuerit excogitatus. Ac propterea a Sixt. V. in sua constitutione, quæ incipit *detestabilis* ad tollendum usuræ Pallium, justissimè fuit hujusmodi conventio prohibita illis verbis: *sive ut de certa quantitate vel Summa in singulos annos vel menses durante Societate respondeatur*. At vero in Societatibus inter plures socios initis, ubi rationes Societatis ob aliorum Sociorum interesse, qui hoc pactum assecurationis certi lucri non iniverunt exactè redduntur, & finita Societate apprime cognoscitur, utrum damnum, vel lucrum ex ea fuerit reportatum, posset hoc pactum duplex ab aliquo ex sociis fieri absque conscientiæ scrupulo: hic enim cessaret metus, nè hoc pactum ad obtegendum mutuum Usurarium fuerit adjectum.

Int. Potest ne Socius sortem in Societatem conferre cum pacto, quod Socii eam accipientes, qui negotia Societatis gerere debent, ex una parte ipsi respondeant certum annuum lucrum, pro lucro, quod ex societate speratur; & ex alia parte ipsum de sorte securum reddant; ita ut in quocumque rerum eventu, & Societatis infortunio, semper quantitates in societatem collatas, debeant ipsi salvas, & integras restituere?

Res. 99. Cum in hoc casu pecunia non exponeretur negotiationi periculo Socii tradentis, nullo modo posset iste lucrum percipere, quod ex ejus usu resultaret: hæc enim conditio quod nimirum pecunia negotiationi exponatur, periculo tradentis,

tis est unica, quæ justificat perceptionem lucri ex ejus usu resultantis, & quæ contractum Societatis à contractu mutui distinguit, ut supra annotatum est.

Int. Si quæ societas cum his pactis iniretur securitatis nempe sortis, et certi lucri, amitteret ne naturam contractus Societatis, & contractus mutui naturam indueret?

Res. Certum est Societatem
100. his pactis initam, solum societatis nomen habere; quia contractus societatis exigit ad sui essentiam, damni, & lucri communionem, ut ex Societatis deffinitione a Bene[illegible]. XIV. tradita evidenter resultat. Unde conventio ista aliud non foret, quam mutuum usurarium. In simili enim conventione manifeste reperirentur quatuor ille conditiones, quæ ut numero 2. dictum est, totam essentiam mutui fœnerali constituunt. Prima: materia hujus contractus, sors nempe, vel pecunia numerata, quæ traditur. Secunda: finis ad quem traditur, nimirum, ut accipiens ea utatur negotiationi expendendo. Et tertia: Onus, quo ipsi traditur, scilicet ut eamdem quantitatem integram, & salvam deffinito tempore reddat. Quæ sunt illa tria, quæ essentiam mutui constituunt: quibus additur quarta, ut plus reddat, quam accepit, ob lucrum, & utilitates, quas ex usu pecuniæ acceptæ reportavit; quæ mutuum usurarium facit, & est tota ratio, quare Ecclesia contractum Mohatra usurarium declaravit, ut numero 68. remanet explicatum. Præterea cum Deus prohibet, & damnat pecuniam dare ad usuram, simul damnat omnes artes, quibus subtiles, & calidi homines effectus hujus Divinæ Legis eludere pertentant: quia illa Juris regula 84. *cum quid una via prohibetur alicui ad id alia non debet admitti*, in omnibus legibus Divinis, Ecclesiasticis, & Civilibus locum habet; quia omnes Legislatores volunt Leges a se latas suum effectum habere, nec hominum caliditate frustrari dicto suo effectu; qua de causa Ecclesia Sancta usu-

suram palliatam equè, ac claram prohibuit, & detestata est. Cum igitur Ecclesia ex una parte declaraverit usurarium, & Divina Lege prohibitum lucrum illud, etsi exiguum, & minimum quod exigitur ex pecunia mutuo data Negotiatoribus *ad negotiationem*; ut scilicet eam negotiationi impendant: licet revera hanc conditionem adimpleant, & ingens lucrum eis negotiatio afferat; sicuti supra demonstratum est, lit ex alia parte certum & exploratum sit, hoc fieri in contractu societatis, in quo socius tradens pecuniam de ea recuperanda, & de certo lucro percipiendo a socio sortem recipiente securus redditur; Quod si licitum foret, leges Divinæ, & Ecclesiasticæ prohibentes, & damnantes lucrum, quod exigitur ex pecunia mercatoribus data ad negotiationem, qui eam revera negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant, otiosæ, & Frustraneæ forent, nec unquam suum producerent effectum, Certum, & evidens debet esse usurarium esse contractum Societatis, in quo Socius accipiens pecuniam, socium eam tradentem securum reddit in omni casu de ea recuperanda, & de certo lucro ex suposita societate percipiendo.

Int. Summi Pontifices ordinarunt ne aliquid super hac re?

Res. Sixtus V. anno 1585. 101. Constitutionem edidit, quæ incipit: *Detestabilis avaritia*, in qua damnat, & reprobat tamquam usurarios contractus Societatis, in quibus Socius conferens pecuniam assecuratur de ea recuperanda, & de certo lucro ex societate percipiendo. His verbis: „ „ damnamus, & repro- „ bamus omnes, & quos- „ cumque contractus, „ conventiones, & pa- „ ctiones post hac ine- „ undos, seu ineundas, „ per quos, seu quas „ cavebitur Personis pe- „ cunias, animalia, aut „ quaslibet alias res, so- „ cietatis nomine tra- „ dentibus, ut etiam si „ fortuito casu quamli- „ bet iacturam, dam- „ num aut amissionem „ sequi contingat, sors

„ ipsa

„ ipsa, seu capitale sem-
„ per salvum sit, & in-
„ tegrum a Socio resti-
„ tuatur: sivè ut de certa
„ quantitate, vel summa
„ in singulos annos aut
„ menses durante Socie-
„ tate respondeatur: sta-
„ tuimusque hujusmodi
„ contractus, conventio-
„ nes, & pactiones, u-
„ surarios, & illicitos
„ post hac censeri de-
„ bere.

Int. Nonnè potest dici Sixtum V. hac constitutione, hujusmodi contractus, & societates prohibuisse solum in casu, in quo lucrum, quod ex ipsis conferens pecuniam percipit magnum, & immoderatum sit; non vero quando est parvum, & minimum?

Res. 102. Nullo modo hæc interpretatio potest admitti, tunc quia horum contractuum prohibitio est absoluta, & indefinita, consequenterque hos omnes contractus includit; tum etiam quia cum Sixtus V. hos contractus, & conventiones, ut usurarios prohibeat, debebat necessario eas prohibere, & si parvum, & minimum esset lucrum, ex ipsis perceptum: quia usura quantumvis exigua, & minima, jure naturali, Divino, & Ecclesiastico prohibita, & damnata est.

Int. Quid censendum est de specie, quam Comitolus super hac re vulgavit, scilicet P. Stephanum Tutei Societatis Jesu; litteris ad ipsum datis testasse Cardinales Toletum, & Sanctæ Severinæ, quibus munus componendæ constitutionis: *Detestabilis*; mandatum fuit: affirmasse Sixtum V. noluisse sua lege prohiberi nisi injustos Societatis contractus; ex quo colligit, contractus, qui ante hanc constitutionem justi, & liciti erant, pariter justos, & licitos fore post dictam constitutionem.

Res. 103. Hoc Cardinalium dictum, quo asseruerunt Sixtum V. noluisse prohibere, nisi injustos Societatis contractus; probare clarissime contractus, & conventiones, de quibus in dicta constitutione locutus est, idcirco prohibuisse, & damnasse, quia illicitos, & usurarios eos reperit; & quod non damna-

mnavit eos pro suo libitu, aut arbitrio, sed necessitate compulsus, quia eos illicitos, & usurarios adinvenit: ac proinde horum contractuum Deffensores de Pontifice conquæri justè non posse. Hic est obvius, & naturalis horum verborum sensus, & nullo modo ex his verbis argui potest Sixtum V. in dicta constitutione nihil fecisse, & nihil prohibuisse, sed rem intactam reliquisse, ac si dicta constitutio edita non esset. Hoc enim esset Pontifici imputare, quod Christianis in rè tam gravi ad motes expectante, voluisset illudere, & ipsos decipere, prohibendo in Bulla clarè, & explicitè, ut usurarios, & illicitos contractus, & conventiones, in quibus socius conferens pecuniam, a Socio recipiente de ea recuperanda, & de certo lucro ex Societate percipiendo, securus redditur; non obstante, quod volebat has conventiones, & contractus sine prohibitione relinquere, & nihil plane in eis ordinare; quod nihil iniquius dici potest ad inducendum Populos ad contemptum Pontificiæ Authoritatis.

Int. Quid est contractus quem trium contractuum vocant?

Res. 104. Est contractus, qui ex tribus contractibus coalescit; Primus est Societatis. Secundus assecurationis Capitalis. Tertius venditionis incerti lucri, quod a Societate sperabatur pro minori lucro certo, & determinato. Hoc exemplo res clarior fiet. Titius, & Sempronius lucri in communi faciendi causa, ineunt societatem in quam Titius confert pro sua parte mille aureos, è quibus probabiliter sperat 130. lucraturum. Sed metuens Titius ne una cum sperato lucro, etiam capitale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio, cui condonat sexaginta aureos sperati lucri, ut qualiscumque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat de securitate capitalis mille aureorum: rursusque secum reputans Titius melius sibi fore aliquod moderatum lucrum, certum habere, quam pin-

pinguius, sed incertum expectare; Tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios 20. aureos sperati lucri, ut quinquaginta ressiduos ei solvat, sivè negotiatio bene, sivè male succedat. His tribus contractibus obstringitur Sempronius ad reddendum Titio intra certum tempus integram sortem, idest summam mille aureorum, & quinquaginta aureorum incrementum. His verbis hunc contractum explicat Bened. XIV. de Syn. Diæ. 1. 10. c. 7.

Int. In quo distinguitur iste trinus contractus, à contractu Societatis, inito cum duplici pacto assecurationis, nempe sortis, & certi lucri numero 99. expositi?

Res. Differunt, si quæ inter ipsos est diferentia, in eo, quod in hoc casu pacta assecurationis capitalis, & certi lucri, fiunt in vim ipsius contractus Societatis, ita ut conferens mille aureos, exempli gratia in societatem, in eam consentiat sub præcisa conditione, & pacto, ut a socio sortem recipiente securus reddatur, & de sorte recuperanda, & de certo lucro ex Societate percipiendo, alias in societatem non consensurus: attamen in contractu, quem trinum vocant, tres illi contractus, ex quibus coalescit, separatim ineuntur, saltem ex contraentium intentione, & unus ab alio non dependet; ita ut cum Socii primum societatis contractum ineunt, hujus contractus legibus revera se subjiciunt; ac proindè animum sincerum habent exponendi negotiationis periculis sortem, quam in societatem conferunt, ut leges hujus contractus ferunt; Inita jam societate simili modo secundus contractus assecurationis capitalis ex communi, & spontaneo partium consensu celebratur; & deinde tertius assecurationis certi lucri pro incerto.

Int. Possunt ne hi tres contractus iniri absque usuræ vitio?

Res. Minime quidem, sed illicitus semper est, & usura Palliata duorum posteriorum Contractuum pal-

pallio hic trinus contractus sive simul cum Societate, sive successive duo posteriores iniantur. Ita definivit Sixtus V. in laudata Bulla *Detestabilis* anno 1586. ut videre licet num. 101. Idem docuit S. Tho. 2. 2. quest. 78. art. 2. ad 5. S. Bonaventura tom. 2. opus. cap. 2. opus. quod inscribitur *opusculum animae* S. Antoninus part. 2. lit. 1. cap. 7. v. 37. S. Carolus Borromeus cum suo Concilio 5. Mediolanensi ann. 1565. cap. de usuris, & alii. Hinc facultas Parisiensis ann. 1664. contra thesim hanc: *Si contractui Societatis adjungatur contractus assicurationis Capitalis, ac venditionis Lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum est exigere lucrum certum cum assicuratione Capitalis*, his notis animadvertit: *falsa est, scandalosa, inducens ad usuras commitendas, variasque aperit artes eas palliandi, justitiam, et charitatem violandi*, & à Sacra facultate jam damnata est. Et merito quidem, quia duobus posterioribus contractibus sive simul cum Societate, sive successive fiant omnino destruitur societatis contractus, qui basis, & unicum fundamentum est lucri ex prædicto trino contractu reportandi. Nam ideo ex mero mutuo nihil lucrari licet, quia pecunia de se infecunda, & sterilis est, nec fructifera reditur nisi ex adiuncta industria, & opera negotiatoris. Jt ergo ei qui illam sua industria non negotiatur justus aliquis Titulus aliquid ex ea lucrandi accedat periculo sortis amitendæ subesse debet, quod certe estimabile est & ad societatis contractus naturam apprime pertinens. Assicurato autem capitali sive tunc cum societas initur, sive postmodum omne amitendæ sortis periculum submovetur, unde & cessare debet ipsi pecuniam conferenti omnis Titulus justi lucri: Hac ratione pluribus Hispaniæ legibus, sed presertim lege 15. titulo 18. libro 5. novæ collectionis toties in hoc opere citatæ stricte, & sub gravi-

bus

bus pœnis prohibitus est.

Int. Sixtus V. in laudata sua constitutione notavit ne aliqua censura opinionem deffendentem licitam, & ab usura immunem esse prædictorum trium contractuum unionem?

Res. Nulla prorsus clausula
107. legitur in tali constitutione, qua censura aliqua veniat notata talis opinio, etsi expresse ut illicita in ea prohibeatur, & usurarius habendus jubeatur trinus contractus post hac celebratus.

Int. Quid autem circa hoc & de contractu trino sentit Benedictus XIV.?

Res. Postquam Pontifex iste
108. Sapientissimus lib. 10. de Sinod. Diœcesana cap. 4. ait usurarium pronunciasse lucrum et si moderatum a mercatore acceptum ex pecunia sibi mutuo tradita ut questuosis negotiis impenderetur, & opinionem illud defendentem reprobasse, atque damnasse in sua Enciclica: *Vix pervenit* Episcopos monens integrum illis esse hanc eroneam opinionem, quam jam pridem multi Episcopi suis edictis confixerant, ex sua Diœcesi exturbare, eamque temere disseminantes, aut uso ipso approbantes severis pœnis cercere, sic de contractu trino, deque ejus prohibitione a Sixto V. facta loquitur ejusdem lib. 10. Cap. 7. postquam duas circa ipsum contractum Theologorum diversas opiniones, cum earum rationibus refert: *Haec sunt praecipua, ait, rationum momenta, quae in utramque partem adducuntur.* „ Neque Apo-
„ stolica Sedes priori o-
„ pinioni (quæ nimi-
„ rum dictum contra-
„ ctum trinum ab om-
„ ni usuræ reatu absol-
„ vit) & si minus con-
„ gruere videatur Sixti-
„ næ Constitutioni, ul-
„ lam hactenus censu-
„ ram inussit, à qua
„ proinde etiam infli-
„ genda devet Episco-
„ pus abstinere. Ad u-
„ sum vero quod atti-
„ net tutò poterit con-
„ tractum trinum, quem
„ etiam ejusdem Patro-
„ ni periculosum faten-
„ tur pro viribus impe-
„ dire atque ab eo ine-
„ undo suos subditos de-
„ hortari, quod a pleris-
„ que

„ que Episcopis in suis „ Diœcesanis Sinodis Sa- „ pientissime factum re- „ ferunt Genetus tom. 7. „ tract. 4. Cap. 14., & „ Natal. Alex. Ep. 94. in „ appendice ad tom. 2. „ suæ Theolog. Moralis. His adeo perspicuis tanti Pontificis verbis aperte manifestatur qualiter de contractu trino, deque ejus prohibitione in toties laudata Bulla: *Detestabilis* facta senserit, quare inutile prorsus foret eis alia superaddere.

Int. Verba illa nuper citata ex Benedic. XIV. *pro viribus impedire* indicant nè Episcopum posse hujus contractus celebrationem suis subditis prohibere?

Res. Certum videtur hunc
109. esse horum verborum sensum, quia hoc est unicum medium, quod Episcopi habent ad consequendum sui zeli effectum, & exterminium abusuum, qui in sua Diœcesi irrepserint: Si enim nihil facere possent nisi adhortari subditos, & contra pravos abusus inclamare, & in casu, quo sui male feriati subditi eorum adhortationes, & declamationes irriderent, nihil amplius facere possent, prudenter Episcopi ab his adhortationibus abstinerent, ne jurisdictionem Episcopalem contemptui exponerent.

Int. Potest ne hæ interpretatio doctrina ipsius Ben. XIV. confirmari?

Res. Potest sanè confirmari
110. ex his, quæ ipse Pontifex adducit Cap. 8. ejusdem libri; ibi enim Episcopos admonet, ut diligenter examinent contractus inusitatos, quos insueta veste circumvestitos in Diœcesim irrepere advertunt: nec sinère ullum eorum communi usu recipi, *nisi ab omni usuræ periculo; quam longe abesse compererint*. Cum igitur trinus contractus usuræ periculo, & suspitione non careat, possunt quamoptime Episcopi ex ipsius Ben. XIV. Sententia suis subditis hunc contractum prohibere, eodem modo, quo prohibere possunt contractus, qui noviter introducantur, & eodem usuræ periculo laborent. Cum enim agatur de re jure naturali, & Divino prohibita, quam diuturnus

nus usus, & consuetudo Populorum honestare non potest, perinde est, si de novo introducatur, ac si fuerit jam ab antiquo tempore introducta.

Int. Licet contractus trinus ejus natura spectata sit fæneratorius, possunt ne Principes ad majorem subditorum utilitatem, & commodum, ut dicitur, eum exuere hac usuræ labe, & licitum, & honestum inter suos Subditos reddere?

Res. Minime hoc facere pos-
111. sunt, sicuti suo Alto Dominio non possunt efficere ut suis subditis licitum sit pecuniam dare ad usuram, ut numero 33. probavimus; quia ratio. quà asseritur contractum trinum usurarium esse, non alia est, nisi quia hic contractus aliud non esse deprehenditur quam mutuum datum sub usura, veste illorum trium contractuum circumvestium. Si contractus iste mutuum non esset, quilibet posset liberè illum celebrare; quin dispensatione, aut Principis privilegio indigeret; Sicuti liberè celebrare potest ceteros contractus, qui legibus non sunt prohibiti. Sicut ergo Principes suis Legibus, & Alto Dominio non possunt efficere, nec directè, nec indirectè, ut licitum sit suis subditis in aliquo casu, nec quacumque interveniente causa, lucrum exigere ex pecunia mutuo data, ita non possunt efficere, ut in aliquo casu, nec pretextu publicæ utilitatis licitum ipsis sit trinum contractum inire. Adeo hoc evidens est, ut ulteriori discussione non egeat.

Int. Quid est cambium Maritimum?

Res. Cum hæc vox *Cambium*
112. *Maritimum*, nec in jure Civili, nec Canonico reperiatur, quia est vox recenter à mercatoribus inventa, qualemcumque Maritimum contractum possunt hac voce significare. Ordinariè tamèn ista voce contractum satis inter eos communem indicant, in quo dans pecuniam eam tradit Naviganti ad certum Portum, cum conditione, quod si Navis ad destinatum Portum præstituto tempore salva pervenerit, tunc accipiens pecu-

cuniam debeat quantitatem acceptam tradendi restituere, & certum lucrum, & auctuarium solvere, hac conditione impleta promissum. At vero si Navis ad designatum Portum salva non pervenerit, sed perierit incendio, hostium incursu, aut naufragio, vel alio fortuito casu; tunc tradens pecuniam totum suum jus amittat, & eam accipiens omnino liber evadit ab obligatione tum restituendi quantitatem acceptam, tum solvendi lucrum promissum.

Int. Cambium Maritimum sic explicatum est ne contractus mutui, vel societatis, vel contractus innominatus?

Res. Cardinalis de Luca, Ali-
113. gusticus, Casaregis, & alii Auctores de commercio maritimo tractantes docent hunc Cambii Maritimi Contractum posse iniri per viam mutui, vel per viam Societatis; & quod in aliquibus casibus iste contractus, est contractus Societatis; in aliis vero contractus mutui. Cum vero contractus Societatis sit natura diversus à contractu mutui; & pecunia quæ traditur per viam Societatis tradatur cum pactis diversis, ac quando traditur per viam mutui: hinc est, quod Cambium Maritimum quando Societatis naturam induit, initur sub pactis, & conditionibus omnino diversis ab his quibus concipitur, quando initur per viam mutui.

Int. Quando Cambium Maritimum naturam contractus Societatis induit?

Res. Quando pecunia ttaditur Naviganti ad emendas merces in alias Regiones transferendas ad quæstum, cum eis faciendum, carius ibi eas vendendo, & tradens pecuniam in se assumit, non modo pericula navigationis, sed etiam pericula negotiationis: ita ut si merces ibi vendi non possint, vel vendi debeant minori pretio, quam empte sint; tum ob deffectum Emptorum; tum quia merces vitio aliquo, decursu temporis affectæ sint, totum damnum ad tradentem pecuniam, & non ad accipientem expectet, qui ab obligatione contracta liber evadat, vel merces

ibi relinquendo ad commodum tradentis, vel ad ipsum afferendo tenuè pretium ex mercibus venditis consecutum.

Int. Quando hic Contractus Cambi maritimi est verus mutui Contractus?

Res. Quando dans pecuniam
115. assumit in se tantum modo maris, & navigationis pericula; non verò pericula negotiationis; ita ut statim ac Navis ad Portum destinatum pervenit, is qui pecuniam accepit debeat eam Creditori, qui tradidit, restituere, & lucrum in hoc casu promissum solvere; licet ex ea navigatione non lucrum sed damnum reportet; vel ob mercium vitium, vel ob emptorum deffectum, vel ob alias causas in comertio contingentes.

Int. Est ne usurarium Cambium Maritimum initum per viam Societatis.

Res. In hoc casu jure naturæ
116. spectato est ab usura immune, dummodo ineatur cum conditionibus, & pactis expositis n. 98,, quia contractus duplex Societatis equæ licitus est, si inter Mercatores, Maritimam vitam agentes celebretur, ac quando initur inter Negotiatores terrestribus negotiis solum vacantes, attamen fatendum est periculum illud supra numero 98. expositum, ne scilicet hoc duplici Societatis contractu usura obtegatur, multo magis timendum esse in hoc maritimo contractu, quam in aliis: ita ut fere semper hic contractus, inter maritimam vitam agentes initus, aliud non sit, quam purum mutuum fœnera titium.

Int. Est nè usurarium Cambium maritimum per viam mutui initum?

Res. Si lucrum quod ex Cam-
117. bio maritimo, per viam mutui inito exigitur, ratione ipsius mutui exigatur; hoc est ratione favoris, & gratiæ, quæ mutuum dando Naviganti impenditur, & ratione lucri, & utilitatis, quam is refferre sperat ex pecuniæ usu, illam negotiis maritimis impendendo; tunc contractus erit certe fæneratitius: attamen si pecunia gratis omnino mutuo detur, & lucrum non exigatur ratione mutui, sed ratione titulorum

rum, cum mutuo verè Concurrentium, uti sunt lucrum cessans, damnum emergens, & alii similes; tunc Contractus ab usura immunis est.

Int. Potest ne Mutuator in hoc casu lucrum exigere ratione periculi amitendæ sortis, quod in se assumit liberandi mutuatarium ab obligatione eam reddendi in casu quo Navis ad destinatum Portum salva non perveniat?

Res. Potest Sanè absque usura, honestum lucrum exigere ratione hujus periculi, quod periculum juris Auctores vocant, ut numero 58. dictum est; dummodo observet Conditiones dicto numero expositas. Prima nempè, quod ratione assecurationis hujus periculi, non plus exigat, quam exigeret alius, qui pecuniam mutuo non dedisset, sed eam solum à periculis maritimis assecurasset. Secunda: quod non det mutuo pecuniam sub conditione in sè assumendi certo pretio pericula maritima; ita ut, si Navigans offerat datis fidæjussoribus, vel pignoribus, illum securum reddere de sorte recuperanda, tempore quo Periti prudenter judicabunt navem ad destinatum portum perventuram, tunc mutuum debet illi omninò gratis dare, & nihil lucri ex eo exigere potest. Tertia tandem: quod mutuans in se assumat maris pericula ad instantiam ipsius mutuatarii, qui volens sibi sortem acceptam à maris periculis securam reddere, sua sponte eligit inire hunc assecurationis contractum, potius cum ipso mutuatore, quam cum quocumque alio. Quæ conditiones cum rarò, aut nunquam in praxi concurrant, tuto possunt Confessarii usurarium pronuntiare cambium maritimum per viam mutui celebratum.

Int. Conditio illa, qua hic contractus initur, scilicet restituendi sortem acceptam, solum si Navis ad Portum destinatum salva pervenerit: minime verò si in navigatione perierit, nonne naturam contractus mutui immutat, & illum in aliam speciem contractus convertit? Cum mutuum, ex natura sua petat, ut

sors tradita deffinito tempore in omni eventu à mutuatario reddatur?

Res. 119. Minime quia Contractus cum hac conditione initus, verus nihilominus mutui contractus perseverat.

Int. Nonnè asserit Natalis Alexander Epistola 94. quæ in Appendice ipsius Theologiæ Moralis reperitur, quod hi, qui hunc contractum maritimum ineunt contractum mutui non celebrant, sed alium quem innominatum vocat.

Res. 120. Etsi non desint Authores, non inferioris notæ qui doceant mutuum esse desinere ratione illius conditionis, & ad aliam contractus rationem transire, qui innominatus dicitur, ut inter alios Natalis Alex. Ep. 94. in App. ad tom. 2. suæ Theologiæ Moralis, aliique Theologi presertim Galli (et si non absurde hi exponi possint de cambio maritimo per viam Societatis inito, ut in ipsis videre licet), licet nihil prorsus refferat ad veritatem Doctrinæ, quod sic, vel aliter nominetur, probabilius tamen videtur præmissum contractum cum illa conditione initum verum mutuum esse, ut sequentes rationes ostendunt. Primo, quia jure Civili, contractus sub dicta conditione initus, mutuum vocatur. Creditor, qui pecuniam sub dicta conditione dat, appellatur mutuans, & usura quæstus, seu lucrum, quod ex isto contractu reffert; uti clare constat ex leg. 1. 6., & 7. ff. de Nautico Fœnore, quæ in hujus tract. appendice transcriptæ sunt; & præcipue ex leg. 4. Cod. e. t. ubi hæc leguntur; „ „ trajectitiæ quidem pe- „ cuniæ quæ periculo „ Creditoris mutuo da- „ tur casus, antequam „ ad destinatum locum „ navis perveniat, ad „ debitorem non perti- „ net; Sine hujusmodi „ verò conventione, in- „ fortunio Naufragii, „ Debitor non liberabi- „ tur: 2. quia Auctores, qui super hos titulos de Nautico Fœnore commentaria ediderunt, affirmant contractum istum, mutui contractum esse, & usuram quæstum ex ipso perceptum ordinariis ma-

majorem, ob periculum sortis amittendæ, quod mutuator in se assumit. Tertio quia Gregorius IX. in cap. ult. de usura mutuantem vocat Creditorem, qui pecuniam suo periculo tradit Navigan-ti; Naviganti inquit vel eunti ad *nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem*. Et Sanctus Raimundus *de Penafort*. Sanctus Antoninus, & omnes antiqui Canonistæ, qui de hac materia scripserunt, concorditer affirmant, ut testatur Cardinalis de Luca lib. quinto p. 1. Dis. 3. num. 2. contractum, de quo in hoc Cap. Naviganti loquitur Gregorius IX. mutui contractum esse, & quod in hoc cap. reprobatur Nauticum Fœnus jure Civili probatum. Quarto, quia omnes Theologi de mutuo, & usura tractantes inter titulos qui cum mutuo sociari possunt, adducunt illud periculum sortis amittendæ, quod periculum Juris vocant, ex prædicta conditione mutuo adjecta proveniens, ut num. 53. dictum est: censent igitur dictam conditionem non immutare mutui naturam, illudque in aliam speciem contractus, convertere; sed illa non obstante contractum illum mutuum verè permanere; conditionem autem illam, titulum extrinsecum efformare; justam causam mutuanti præbentem ad aliquid ultra sortem recipiendum. Hæc est fere omnium Theologorum Doctrina; qui ergo sustinere volunt, vi illius conditionis, mutuum à sua natura degenerare, & in aliam contractus speciem transire, in qua injustitia reperiri possit, minime vero usura, novitatem suæ opinionis agnoscere debent, eamque omnium fere Theologorum sententiæ esse oppositam. Et demum quia in hoc contractu tria illa reperiuntur, quæ essentiam mutui constituere diximus. 1. Materia contractus, pecunia nempe, quæ datur Naviganti. 2. finis, ad quem traditur, scilicet ut ea utatur quæstuosæ negotiationi eam impendendo. Et 3. onus, & obligatio, qua ipsi datur ut scilicet restituat

suō tempore Mutuatori quantitatem acceptam .

Int. Licet hæc vera sint (inquiet aliquis) etiam verum est mutuum ex sua natura exigere, quod mutuatarius in omni eventu reddat mutuanti præstituto tempore sortem acceptam, & si in fortuito casu perierit, cum commoda, & incommoda dictæ sortis ad mutuatarium, & non ad mutuantem expectent ?

Res. Verum est mutuum ex
121. sua natura hoc exigere : at vero pacto aliquo particulari accedente, potest Mutuatarius hæc pericula sortis acceptæ ad mutuantem rejicere, quin contractus suam mutui amitat essentiam . Sicuti in aliis Casibus contingit, in quibus variatis legibus contractus mutui, essentia contractus minime variatur, ut in casu sequenti perspicuè demonstratur . Mutuum ex sui natura exigit, quod pecunia recepta, restituatur eodem loco, in quo recepta est, Et nihilominus si aliquis in Americam se transferens 100. aureos Barcinone mutuo acciperet cum pacto, & conditione, ut ipsos posset Mexici reddere Mandatario, vel Procuratori ipsius Mutuantis ; non propterea contractus mutuum esse desineret, nec suam essentiam amiteret, & in aliam contractus speciem transiret, sed pactum hoc efformaret titulum mutuo extrinsecum, cujus ope Mutuator posset aliquid ultra sortem traditam à Mutuatario exigere, illud nempe, quod prudentum judicio impendi deberet, ut sors Mexici reddita, tutò Barcinonem ad manus mutuatoris defferi posset ; ac prohinde si mutuator aliquid plus istis necessariis impensis exigeret ratione usus pecuniæ, reus usuræ certissimè foret . Idem ergo in Nautico fœnore dicendum est omnia sortis mutuo datæ pericula, ad mutuarium ex natura contractus, expectant ; pericula ista diversa sunt, & tempore, & specie, si mutuans in se assumeret omnia pericula sortis mutuo datæ, quæ contingere possunt toto tempore, quo durat contractus, & quoad sors accepta redditur;

tuno

tunc contractus, mutuum esse desineret, & in contractum Societatis res transiret, sicuti numeso 95. dictum est. Attamen quando Mutuans solum aliquod ex his periculis, quibus sors tradita subjecta est, in se assumit, vel respectu temporis, ut si in mutuo redendo post annum, solum pericula, quæ prioribus sex Mensibus contingere possent assumeret, & non aliorum, tunc mutuum suam naturam, aut essentiam non amitteret; Sed hæc pacta, quibus periculum sortis in certis, & determinatis casibus in mutuantem reiiceretur. mutuanti titulum justum preberent, ut ultra sortem datam a Mutuatario exigere posset, absque usuræ vitio, id quod judicio prudentum valeret horum periculorum assecuratio. Alias hac arte possent Mutuatores, omnes mundi usuras facile defraudare, assumendo in se aliqua, ex tam multis periculis, quibus sors mutuo data perire posset, & subvertere hoc modo leges omnes fænus prohibentes.

Int. Curia Romana tolerat nè hodie Cambia Maritima, quæ in locis maritimis in usu sunt?

Res. 122. Non tolerat Curia Romana hunc Contractum Cambii Maritimi, quem Nanticum fænus esse apprimè cognoscit, sed illum reprobat, & detestatur: ut perspicue constat ex his, quæ Cardinalis de Luca adducit parte 1. de Usuris, & inter. Discur. 3. de Nautico fænore, seu Cambio maritimo ubi numero 1. factum controversum narrans, testatur Creditorem ejusdem Cambii Maritimi dati ad rationem 30. pro centenario in singulos annos, super Navi piscatoria mandatum executivum obtinuisse a Judice Riparum pro accessionibus plurium annorum spacio decursis, contra quemdam Dominicum, qui fide jusserat pro dictis accessionibus non vero pro sorte. Sed introducta per apellationem causa in Camera per istum ad favorem Dominici apelantis, pro quo in illo Tribunali solum scripserat prævia magna discussione, inquit, congrua potius ratione articuli,

quam Sumæ prodiit resolutio pro dicti mandati informatione: ac pro inde tale Cambium Maritimum, natura contractus considerata, post magnam discussionem usurarium fuit à Camera Apostolica declaratum,

Int. Potest ne aliqua efficax ratio adduci clarè demonstrans Cambia Maritima, quæ hodie in usu sunt, & quæ dantur ex Hispaniæ partibus ad Portus Americæ Navigantibus ad lucrum 26. in centum. quando Assecuratores pro pretio assecurationis omnium periculorum itus, & reditus, quibus hujusmodi Naves subjiciuntur solum exigunt 8. in centum, non modo veros mutui contractus esse, sed etiam usuram gravem, & mordentem continere?

Res. Sequenti ratione hoc evi-
123. dentissimè demonstratur: quia si Titius, exempli gratia, simplici mutuo daret pecuniam Sempronio ad Americam ex Hispania naviganti post annum restituendam, in quo hujusmodi navigatio absolvi solet ad lucrum 19. in centum, & post aliquos dies Titius rursus cum Sempronio alium contractum iniret, cum quo Titius Mutuator sibi assumeret pericula Maritima, quibus pecunia credita in illa Navigatione itus, & redditus exposita erat, ad rationem 7. in centum: omnes agnoscerent hunc secundum contractum maritimæ assecurationis contractum esse, ac prohinde licitum; & honestum. Primum verò mutui dati ad lucrum 19. in centum ad annum usuram gravissimam, & crudelem continere. Et nihilominus Mutuator iste ope horum duorum contractum, primi mutui ad lucrum 19. in centum, & secundi assecurationis Maritimæ ad rationem 7. in centum, celebraret Cambium Maritimum datum ad rationem 26. in centum. Quia non posset pecuniam mutuatam recuperare, nec lucrum promissum petere, nisi in casu quo Navis ad Portum Hispaniæ, à quo solvisset, salva esset reversa, eodem prorsus modo, ac si pecuniam cambio maritimo dedisset. Ergo Cambia Maritima tradita

in

in his casibus ad lucrum 26. in centum, manifestè continent duos contractus, unum mutui usurarii dati ad lucrum 19. in centum, & alium assecurationis Maritimæ initæ ad rationem 7. in centum, simul junctos, & unitos.

Int. Dantur alii Cambii Contractus, in quibus usura reperiri potest?

Res. Theologi in duo genera
124. dividunt cambia monetæ, quæ inter mercatores in usu sunt; Primum, quod cambium manuale vocant: Secundum verò cambium locale, seu per literas. In Cambio manuali diversæ monetæ species ad invicem commutantur, monete nempe æris, cum moneta auri, vel argenti; vel è comverso; & cum in hoc cambio actualiter ad invicem inter cambiatores moneta tradatur, usura reperiri non potest. In Cambio locali, seu per litteras pecunia, seu moneta traditur in uno loco: Exempli gratia Barcinone ut recipiatur in alio distanti, ut Matriti, vel Romæ.

Int. In hoc Cambio locali potest usura reperiri?

Res. Quando litteræ cambii
125. traduntur, ut exigantur illico, ac correspondenti sunt præsentatæ, usura non intrat, quia lucrum, quod ex hoc Cambio locali Negotiatores percipiunt, datur ob virtualem pecuniæ asportationem Reipublicæ valde necessariam, quia liberat à periculis Latronum, à labore, & a multis aliis incommodis, quæ omnia sunt prætio stimabilia: attamen in his cambiis Localibus latere potest usura, quando litteræ cambii dantur, non ut solvantur statim ac præsentatæ, & receptæ sint, sed post tres, aut sex menses. Si nimirum id quod minus datur pro Littera illa cambii, quam daretur, si illico ac presentata foret solveretur, totum à dilatione temporis procedat; hic enim contractus mutuum virtuale includit, quo datur pecunia præsens; ut post sex menses restituatur; & licet in loco distanti restitutio fieri debeat, hæc circunstantia mutui naturam minime destruit. Alias hac arte omnes usuræ honestari possent.

Eodem modo usura in-

fecta

fecta sunt Cambia, quæ sicca vocantur a Sancto PIO V. ut usuræ damnatà, quæ fiunt quando pecunia non asportatur virtualiter, nec solvitur in loco præscripto, sed in ipso loco; in quo est recepta restituitur: ita ut Litterarum Cambii circuitus solum ad habendum tempus ad solvendum, & ad usuram paliandam inserviat.

Int. Contractus, qui vocantur assecurationis vitæ, ab usura immunes nè sunt?

Res. Hi contractus hoc modo
126. iniri solent: Titius centum aureos Sempronio tradit, ut eos sibi post quadriennium restituat, cum pacto, & conditione, quod si Sempronius antequam quatuor illi anni finiantur, e vivis excedat, ab obligatione restituendi prædictos centum aureos ejus Heres liber evadat. Attamen si Sempronius post quadriennium supertes sit, tunc non modo quantitatem acceptam Titio restituat, sed insuper certum lucrum pro hoc casu promissum ipsi persolvat. Ex hac contractus explicatione resultat hunc contractum ejusdem naturæ esse, ac Cambium Maritimum per viam mutui initum; ita ut inter hos contractus aliud discrimen non reperiatur, nisi quod dator Cambii Maritimi sortem repetere non potest, si navis in navigatione pereat, & in hac vitæ assecuratione si Debitor intra prædictos quatuor annos decedat, & sicuti ibi diximus Cambium Maritimum esse contractum mutui, alium implicitum Maritimæ assecurationis continentem; eodem prorsùs modo in præsenti casu contractus assecurationis vitæ, est mutui contractus, alium assecurationis vitæ continens; Cujus rei consequens est, quod ad hoc ut licitus sit, debet Titius gratis pecuniam mutuo dare, & nihil pro illius usu à Sempronio exigere: ita ut augmentum, & lucrum promissum solum pro assecuratione vitæ exigatur. Quapropter exactè in hac conventione observari debent omnes illæ conditiones, quas numero 53. pro Cambii Maritimi honestate exposi-

scimus.

Int. Quid est contractus Census?

Res. Est contractus, quo a-
127. licui conceditur jus percipiendi certam pensionem, vel ex persona, vel ex bonis alterius utilibus, seu fructiferis.

Int. Quomodo census dividitur?

Res. Primo dividitur in Censum vitalitium, & in censum perpetuum. Census vitalitius non durat nisi durante vita personæ, vel personarum ad hoc designatarum. Perpetuus vero perpetuò durat, & ad Hercdes transit.

Int. Quotuplex est census perpetuus?

Res. Est duplex reservativus,
129. & consignativus. Reservativus est ille, in quo Dominus jus sibi reservat quotannis recipiendi determinatam pensionem ex rebus, quas in Dominium tam utile, quam directum transfert in alium. Consignativus verò, est census, in quo Dominus rei suæ retento Dominio jus percipiendæ pensionis in singulos annos, alteri vendit.

Int. Quomodo Census consignativus dividitur?

Res. Dividitur in Realem,
130. Personalem, & mixtum. Realis est, qui imponitur, & constituitur in bonis stabilibus fructiferis, capacibus producendi reditus sufficientes ad solvendam annuam pensionem, in ipsis impositam, & constitutam. Personalis verò, est qui directè imponitur super Persona debitoris, quæ obstringitur annualem pensionem solvere, vel ex suo labore, & industria, vel ex suis bonis. Mixtus denique super personas, & res constituitur, æqualiter utrasque afficiens.

Int. Qui censum personalem constituit, potest nè bona sua Creditori hipotecare ad ejus securitatem, quin ille census transeat in Realem?

Res. Potest hoc quamoptime
131. fieri, & regulariter fit in creatione omnium Censuum Personalium, seu censualium.

Int. Cur Census Personalis ad cujus Securitatem bona Debitoris hipotecantur, in realem non transit.

Res. Quia pereunte re Cen-
132. sui obligata, & hipoteca-

ta,

ta, non perit census ; sicuti contingit dum perit fundus, in quo est constitutus census realis, sed adhuc remanet obligata persona ad ejus correspondionem : ita Benedic. XIV. de Syn. Diœc. libro 10. Cap. 5. numero 4. ut postea videbimus.

Int. Est ne licitus Census Vitalitius, sive vendatur ad vitam unius, sive ad vitam duarum, aut plurium Personarum ?

Res. Licèt Ecclesia censum
133. vitalitium expresse non probaverit ; Theologi tamen censent, censum hunc licitum esse, & ab omni usura immunem : Pecunia enim (prosequuntur), quæ hic traditur amplius recuperari non potest, sicut contingit in contractu emptionis, & venditionis. Quapropter hic contractus non potest esse mutui cum defficiat tertia conditio ad ejus essentiam requisita, sed est contractus emptionis certæ pensionis persolvendæ quoad duret vita alicujus Personæ designatæ.

Int. Potest ne hic contractus talibus conventionibus, & pactis iniri, ut à contractu emptionis, & venditionis degeneret, & in contractum mutui fœneratitii transeat ?

Res. Contractus hic potest i-
134. niri, cum pacto, quod liberum sit venditori census, illum extinguere pretium acceptum emptori restituendo, ut contingit in venditionibus, quæ cum pactò redimendi fiunt : At verò si hæc facultas etiam emptori competeret, qui posset venditorem census directè, vel indirectè obstringere ad illum redimendum, tunc hic contractus in mutuum Feneratitium degeneraret, sicuti in mutuum usurarium degenerant emptionis, & venditionis contractus simili pacto initi uti numero 73. dictum est. Item in casu, quo venditor aliquas pensiones annuas solvere Emptori census promitteret in omni eventu, etiam si Persona ad cujus vitam Census est impositus illico decederet, tunc enim pro hac parte census in mutuum degeneraret.

Int. Quale est census Vitalitii pretium ?

Res. Jure naturæ expectato est

135. est illud, quod homines prudentes judicabunt justum esse, perpenso majori, vel minori periculo amittendi pretium solutum, cui Emptor subjacet ob mortem Personæ, vel Personarum, ad quarum vitam census promissus est. In Regno Castellæ, ut constat ex lege 8. lib. 5. tom. 15. Census vitalitii solum ad vitam unius Personæ vendi possunt, & pensio constituta septimam partem pretii nunquam potest excedere: In Cathalonia verò permittitur census vitalitios vendere ad vitam duarum Personarum, & quod pensio annualis septimam partem pretii æquet; uti constat ex constitutione Philippi V. edita in Curiis Barcinonæ habitis anno 1702. Attamen tam gravis est hæc quota permissa, ut in conscientia exigi non possit, nisi personæ ad quarum vitam esset census venditus adeò, veteres, & infirmæ valetudinis essent, ut prudentum judicio, pensio census proportionata esset periculo, cui Emptor subjacet amitendi pretium traditum ob imminentem mortem dictarum Personarum.

Int. Census perpetuus est nè ab usura immunis?

Res. Si de censu reservativo
136. loquamur, certum & exploratum est, ab usura hunc censum esse immunem, quia absque injustitiæ labe sibi reservare potuit Dominus jus annuam pensionem recipiendi ex bonis, quorum dominium utile, & directum in alium transtulit.

Int. Est ne liber ab usura Census Realis consignativus?

Res. Est ab usura immunis,
137. eodem modo ac census reservativus; quia modo quo dominus bonorum stabilium redditus exempli gratia 100. aureorum potest sibi reserbare jus 50. aureos annuos exigendi, & residuum in alium transferre eodem prorsus modo potest Dominus super his bonis stabilibus fructiferis, quorum dominium penes se retinet, constituere, & imponere similem annuum censum 50. aureorum. Immunes igitur sunt ab usura census consignativi reales per-

perpetui, & re vera licitos, & à labe usuræ liberos declararunt Nicolaus V., Martinus V., & Sanctus Pius V. in respective constitutionibus.

Int. Si Emptor Census realis consignativi sibi reservaret facultatem obligandi venditorem ad illum extinguendum, & ad pretium acceptum restituendum, remaneret in hoc casu census consignativus ab usura immunis?

Res. Non immunis, sed vitio
138. usuræ infectus remaneret; sicuti Fæneratitiæ sunt etiam bonorum stabilium venditiones initæ cum pacto redimendi, in quibus emptor sibi facultatem reserbat venditorem obstringendi ad rem venditam iterum emendam, & ad pretium acceptum restituendum, ut numero 75. probatum est: & quia in hoc casu Census induere videtur naturam pignoris initi cum pacto, quod Creditor percipiat fructus rei pignori obnoxiæ, quoad debitor pecuniam credito acceptam restituat. Nullum enim intercedere videtur discrimen inter hos casus, ut cuicumque rem consideranti manifestum fiet. Cum igitur Ecclesia Sancta in Cap. 1. de Usuris, & alibi declaraverit Contractum Pignoris in hoc casu usura infectum esse: sequitur inde usurarium quoque censeri debere censum consignativum sub dicta conditione initum. Et demum quia in censu consignativo sic inito reperirentur quatuor illa, quæ toties diximus totam essentiam mutui Fæneratitii constituere 1. materia contractus, pecunia nimirum numerata. 2. Finis ad quem pecunia traditur: ut nempe accipiens ea utatur. 3. Onus, & obligatio, qua ipsa traditur: ut eandem quantitatem restituat præstituto tempore, vel quoties tradens eam ab ipso repetat & 4. demum pactum, quo obstringitur solvere tradenti aliquid amplius, scilicet annuam pensionem ultra sortem acceptam.

Int. Census consignativus Personalis est nè licitus, vel potius usurarius?

Res. Si Census Personalis est
139. etiam redimibilis ex parte Emptoris, qui possit ven-

venditorem census obstringere ad illum extinguendum certo tempore elapso ; & denique quoties ad hoc ab Emptore fuerit requisitus , certum, & evidens est Censum Personalem aliud tunc non esse , quam purum putumque mutuum fœneratitium , census veste obtectum . Tum quia etiam Census realis hoc pacto initus est usurarius , ut numero antecedenti probatum est. Tum quia inter hunc contractum & contractum mutui usurarii nulla intercedit divessitas , nisi in verborum Cortice, ut bene advertit ipse BENEDICTUS XIV. tit. de Synodo Diœ. lib. 10. Cap. 5. 2. 4. tum denique , quia in ipso manifeste reperiuntur quatuor illa numero antecedenti exposita , quæque hic repetere omitimus , quæ mutuum usurarium constituunt .

Int. Census Personalis perpetuus ex parte Emptoris , qui nunquam potest obligare venditorem ad eum redimendum , & ad pretium acceptum restituendum est nè licitus, & ab usura liber ?

Res. 140. Non pauci Auctores defendunt Contractum hunc non mutui contractum esse , sed contractum emptionis , & venditionis certæ annuæ pensionis super aliqua Persona , quæ apta sit aliquid suo labore , & industria lucrari : ac proinde , quæ possit suas operas certa mercede alicui locare . Unde concludunt hunc contractum ab usura immunem esse . Quam opinionem hac ratione probant : Sicuti (inquiunt) licitum est imponere censum realem super domibus & prædiis , quæ locari possunt , & ex pretio locationis solvi pensio constituta ; sic eodem modo potest pensio imponi super aliqua persona , quæ possit suas operas locare , & ex locationis mercede constitutam pensionem solvere. *Attamen hec ratio futilis , et inepta est : Domus enim, et praedia res sunt immobiles* , & fructiferæ , fructus in perpetuum , ut ita dicam , pariunt , quæ una ex conditionibus est à S. PIO V. ad census honestatem requisita . Persona autem humana in

dies

dies mutatur. Hodie fecunda, cras sterilis est. Hodie contrahit censum Personalem, cras in morbum incidit diuturnum, quo etiam tempore census currit. Neque his satis fieri potest dicendo in hujusmodi censu bona etiam hipotecari, quæ in casibus præmissis industriæ, & labori Personæ substituuntur; sic enim census Personalis verum esset mutuum datum ad usuram, in quo mutuatarius bona sua Creditori hipotecaret ad securitatem sortis acceptæ, & lucri promissi; ut clarè patet.

Alii Aucthores præsertim Galli honestatem Census Personalis perpetui deffendunt hoc discrimen assignantes inter Censum Personalem, & mutuum datum ad usuram, pro cujus securitate bona stabilia hipothecantur, quod mutui contractus essentialiter exigit, ut sors tradita repeti, vel recuperari possit a mutuatario tempore in contractu assignato, & quando tempus assignatum restitutioni sortis non fuit, quando hæc a mutuante reposcatur & re vera hæc est ultima ex tribus circumstantiis quam toties diximus mutui essentiam constituere. In Censu autem Personali perpetuo sors, vel pretium traditum perpetuo alienatur, & nunquam recuperari potest. Sicut evenit in pretio ab emptoribus pro mercibus emptis soluto, ex quo inferunt hunc contractum, verè contractum emptionis, & venditionis esse, à contractu mutui omninò diversum.

At verò licet hæc ratio primo aspectu solida, & efficax videatur, ritè perpensa, varia, & omninò inutilis invenitur. Primo, quia falsum est Emptorem census, nunquam posse pretium traditum recuperare, cum illud in effectu paulatim recuperet percipiendo singulis annis pensionem constitutam. Unde solùm verum est Emptorem census non posse integrè, & una vicè pretium persolutum recuperare, non verò quod non possit illud recuperare, & quod illud de facto non recuperet paulatim, & pluribus

bus vicibus; Jam vero contractus mutui essentialiter exigit, quod mutuator possit sortem traditam recuperare: Attamen minime exigit ad sui essentiam, quod possit eam simul & una vice recuperare. Licet enim obstringatur ad recuperandam sortem per partes, & pluribus vicibus, essentia contractus mutui subsistit. Et profecto, si aliquis alteri 100. aureos mutuo traderet, sub pacto, quod mutuatarius posset hanc quantitatem paulatim reddere, solvendo Creditori solum 3. aureos singulis annis, omnes ad unum Theologi affirmarent contractum hunc mutui esse; proindeque usuræ damnarent mutuatorem, si hoc solo motivo, recuperandi suum Creditum per partes mutuatarium obtringeret ad continuandam illam pensionem per aliquot annos, postquam pensiones jam receptæ simul junctæ totum creditum æquassent. Hoc ergo, quod omnes Theologi usuræ damnarent, certè peragunt censuum Personalium Emptores. Postquam enim pensionibus acceptis totum pretium traditum jam receperunt debitorem, vel Census venditorem obstringunt ad continuandam solutionem annuæ pensionis promissæ, vel ad pretium, seu sortem acceptam integrè restituendam, ac si nihil ex ea satisfecissent. Preter quam quod si conditio, vel pactum, quo mutuator se obligaret ad non repetendam sortem mutuo traditam, dummodo usuræ propter ipsam promissæ sibi soverentur, contractum natura mutui exueret, & in alium diversæ prorsus naturæ converteret, in quo usuræ locum habere non possent; Leges Divinæ, & humanæ usuras prohibentes, facilimè eluderentur: Quia omnes mutuatores, qui ad usuras magnas mutuo darent pecuniam Personis securibus spontè talè pactum adderent. Undè Leges usuras prohibentes otiosæ, & inutiles forent. His rationibus adducti Sapientiores Theologi, & Canonistæ, qui materiam serio perpendunt, Censum Personalem, licet perpe-

tuum, ut usurarium rejiciunt.

Int. Summi Pontifices quid de his censibus censent.

Res. Nicolaus V., Martinus V.,
141. Calixtus III. & Sanctus PIUS V. Census reales perpetuos licitos, & ab usura immunes declararunt. Census vero Personales nullus Pontifex approbavit: Sanctus vero PIUS V. eos ut Usurarios rejecit sua constitutione, quæ incipit *cum onus* anno 1568. edita, in qua ad census honestatem inter alia expostulat, quod constituatur in bonis stabilibus fructifferis, ex quorum fructibus, deductis expensis pensio constituta solvi possit: Ubi ergo hæc constitutio recepta est, nemo absque usura census Personales emere potest.

Int. Est ne recepta in Hispania hæc Sancti PII V. Constitutio?

Res. Certum est Philipum 2.
142. ab ea suplicasse: attamen non quo ad articulum, in quo statuitur, ut census in bonis stabilibus fructifferis constituantur; sed quoad articulum, in quo statuitur, ut pretium census semper in pecunia numerata consistat, ut clarè resultat ex lege 10. lib. 5. titu. 5. novæ Legis collect. his verbis: Declaramos (dize) que el proprio *motu* sobre que los Censos se impongan, y sienten con dineros *de presente* no està recibido en estos Reynos, antes se ha suplicado dello. Et ex praxi Notariorum Regni Castellæ, in quorum formulariis solum reperitur formula imponendi census reales ad normam Legis 123., & aliarum ejusdem tituli, in quibus solum de censibus realibus tractatur; nullum vero ibi verbum occurrit, census personales concernens quod maximum argumentum est, in his Regnis incognitos tunc temporis omnino fuisse.

Int. In Cathalonia quænam est praxis in hac censuum materia recepta?

Res. In hoc Principatu te-
143. statur celebris practicus Joannes Fontanella Census utròque modo imponi, modo scilicet, qui sint reales, & modo, qui sint Personales; licet hic posterior modus, census, seu Censualia, ut vocant, creandi magis hodie inter

ter Notarios sit receptus.

Int. Benedictus 14. in suo opere de Syn Diæ. Quid de Censibus Personalibus sentit?

Res. Tractans hanc censuum
144. materiam l. 10. cap 5. dicti operis, postquam numero 4. exposuit rationes, tum sententiæ Deffendentis hos Census licitos esse, tum adversæ sustinentis esse usurarios numero 5. his verbis suam Sententiam aperit. Vehemen-
„ ter tamen suspicamur,
„ in censu mere persona-
„ li, presertim in utrim-
„ que redimibili, eas de-
„ siderari conditiones,
„ quas non solum Pon-
„ tificia constitutio, ve-
„ rum etiam ipsum jus
„ Naturale & Divinum
„ expostulant nè sit con-
„ tractus mutui; & pro-
„ pterea coram Deo usu-
„ rarius „. Quare sermonem ad Episcopos convertens, eosque edocens quomodo in praxi in hac Censuum materia procedere debent, hæc habet; „ Sed quoniam nul-
„ la hactenus hac de re,
„ ab Apostolica Sede pro-
„ lata est sententia, non
„ decet ut Episcopus in
„ sua Synodo Censum
„ Personalem declaret ex
„ natura sua usurarium.
„ sed si præsit Diœcesi
„ ubi prædicta viget San-
„ cti Pii V. Constitutio,
„ urgebit ejusdem obser-
„ vationem, curabitque
„ pro viribus, ne perso-
„ nales census in ea clan-
„ culum inducantur: si si vero Diœcesim gubernet in qua Piana constitutio non est moribus recepta, seriò fideles monebit atque hortabitur, ut a Censibus Personalibus abstineant, eo quod, etiam sola expectata eorundem indole, usuræ periculo, & suspitione non vacent.

Int. Clausula illa, vel Promissio, qua censuum venditores se obstringunt ad meliorandum post tres, aut quinque annos obligationes census, dando ad ejus securitatem alios fidejussores, vel Hypotecas idoneas ad beneplacitum Emptoris, sub pœna, quod si requisiti non melioraverint dictas obligationes, incidant in pœnam consimilis quantitatis ad luitionem, & extinctionem Census aplicandæ efficit nè, quod census Sintetiam ex par-

te Emptoris redimibiles ?

Res. Certum est Emptores cen-
145. sualium regulariter habere ex hac promissione, vel Clausula jus ad obligandum indirectè censuum venditores ad redimendos census : quia cum venditores Censuum , in eorum Creatione obligent ad ejus securitatem , non modo omnia bona mobilia & immobilia , quæ tunc habent ; sed etiam omnia , quæ in futurum habebunt , nullo modo possunt hanc promissionem adimplere , nisi datis Fidejusoribus . Iam vero Fidejussores idoneos invenire , qui huic obligationi censualis se subjicere velint attenta hominum indole , ferè impossibile est . Unde omnes censuum venditores in hanc pœnam post tres , aut quinque annos regulariter incidunt , & Luitioni Censualis obstricti manent , & hac de Causa in Curiis Barcinonæ habitis anno 1702. prohibitum fuit Notariis hanc promissionem melioran-di obligationes censuum , apponere in instrumentis creationum violariorum , seu censuum vitaliciorum , hac ratione adducta ; quia in illa tacitam facultatem habebunt creditores obligandi Censuum venditores ad illos luendos & redimendos ; (6) cum igitur hæc promissio apposita instrumentis creationis censualium , non minorem vim habeat , quam quando instrumentis Creationum violariorum apponitur , certum , & indubitatum est , Emptores censuum habere in illa tacitam facultatem obligandi venditores ad illos extinguendos post tres , aut quinque annos , & deinceps semper ac ipsis libuerit .

Int. In Censibus realibus , Persona quæ censum in bonis suis stabilibus constituit , potest nè se obligare ad solutionem pensionum dicti Census clausulis defensionis ita ut emptor Census pro pensionibus decursis , & non solutis possit executionem contra ejus personam instare , ut nempe capiatur , & carceribus man-

(6) Constituito ista in appendice trascripta est .

mancipetur, quousque pensiones decursas solvat ubi legibus Civilibus prohibitum non est?

Res. 146. *Potest hoc quamoptime fieri, quin census realis* in re immobili, & fructifera Constituus, hac de Causa in Personalem transeat, & ita hoc fieri permissit non modo Nicolaus V. sed etiam Sanctus Pius V., quia istæ obligationes Personales rigurosæ sunt accessoriæ obligationi census, & ab ipsa dependent: ita ut pereunte re censui supposita ruina, incendio, innundatione, vel alio simili casu, census extinctus, & peremptus remaneat, consequenterque peremptæ, & extinctæ pariter remaneant illæ obligationes rigurosæ Personæ Venditoris, quæ censui erant accessoriæ, & ab eo dependebant. Eodem prorsus modo, quo contingit in Contractibus emphiteusis, in quorum instrumentis Notarii apponere solent has clausulas defensionis rigurosas, quibus Dominus directus, & allodialis obstringit illos, quibus in emphiteusim rem suam concedit ad satis faciendum annuum censum in bonis concessis sibi reservatum, & tamen nemini in mentem venit, quod talis contractus in hoc casu sit census Personalis ea clara, & perspicua ratione; quia his clausulis non obstantibus, pereunte re in emphiteusim concessa, vel illam reddendo Domino directo, amittit is totum jus, quod in tali contractu habebat. Unde omnes illæ clausulæ rigurosæ remanent absque effectu, quia a prima, & principali obligatione census dependebant.

Int. Possunt ne censuum Realium Venditores, fidejussores dare pro securitate censuum, quos in bonis suis constitunt?

Res. 147. Sanctus Pius V. alia constitutione, quam edidit sub die 1. Junii anno 1570. Declaravit, quod censuum Venditores poterant dare Fidejussores ad dictum effectum. Attamen, isti Fidejussores solum obligantur ad satisfaciendum pensiones census decursas, & non solutas, si vero census extinguatur, quia periit

res censui supposita, vel quia eam venditor Census emptori omnino dimissit, dicti Fidejusores ab obligatione contracta, quæ censui accessoria erat, remanent omnino liberi.

Int. Sunt ne licitic census perpetui, quos aliqui mixtos census vocant?

Res. Si nomine Censuum mi-
148. xtorum intelliguntur illi census, qui quoad unam partem sunt reales, & quoad aliam personales; ut si vendito censu annuæ pensionis 50. aureorum, in pactum deductum esset, ut census quoad 25. aureos intelligeretur constitutus in bonis immobilibus fructiferis, & determinatis ipsius venditoris; quoad reliquos vero 25. aureos constitutus censeretur super persona ipsius venditoris, tunc hic census quoad 25. aureos, realis esset, & licitus: quoad residuos vero 25. aureos Personalis foret, ac pro inde illicitus, & ususarius. Si verò nomine Censuum mixtorum illi denotantur, qui simul Contituuntur super persona Venditoris, & super ipsius bonis; ita ut pereuntibus bonis, possit integrè Peccipi ex Persona: & pereunte Persona possit integrè percipi ab illis, qui bona censui hypotecata possident, tunc census quoad omnem quantitatem est Personalis, cum hypoteca pro securitate tum proprietatis, tum pensionum census debitarum assignata esse videatur, modo numero 138. exposito: Unde census isti sunt in totum illiciti, & Usurarii.

Int. Quomodo formari deberent in Cathalonia instrumenta creationis hujusmodi Censuum, vel censualium, ad hoc ut ab usura immunes forent?

Res. Formari deberent modo,
146. quo formantur instrumenta Creationis, censuum reservativorum nudæ perceptionis, vel modo, quo formantur instrumenta Creationum, vel venditionum Censuum, quos vocamus *abarraxegat*, addendo solum Clausulam, qua venditori reservetur, facultas Census contitutum

tum reddito pretio redimendi.

Int. Contractus Census potest ne justè iniri, quin instrumentum aliquod constitutionis census efformetur?

Res. Potest hoc quamoptimè
150. fieri, jure naturæ expectato, quia essentia contractuum ex pactis, & conditionibus, quibus initi sunt, resultat; instrumenta autem solum efformantur, ut constet quid à Contrahentibus reverà actumsit. Qua de Causa nullum in Hispania instrumentum efformatum a Notariis est, circa census recentes constitutos super tabacci Regiis redditibus, sed solum in publicis Regii Patrimonii libris annotata est quantitas recepta, pensio constituta, & persona, quæ eam percipere debet. Et eodem modo Sapientes Hispaniæ Theologi sibi firmiter persuadent Chirografa Regia, quæ Hispano sermone *Vales Reales* nominantur, census esse perpetuos, super Regiis redditibus legitimè constitutos ad rationem 4. in 100. qui singulari privilegio fruuntur, ut illis quod cumque debitum solvi possit; dummodò non sit ex illis, quæ in Regia Cedula creationis similium Chirografarum excipiuntur. In hoc enim Contractu omnia illa reperiuntur, quæ ad essentiam Census realis requiruntur; Scilicet pretium ex parte emptorum; pensio empta, quæ in bonis immobilibus, & Regiis redditibus est constituta, capacibus ad multo majora onera persolvenda & perpetuitas census, nullus enim possessor harum pensionum, Regium Fiscum obligare potest ad pensionem redimendam, & pretium pro ea solutum, restituendum, quæ conditiones census constituunt omninò justum.

Neque hunc contractum ab essentia contractus census degenerare faciunt; vel Privilegium; quo fruuntur hujusmodi redituum Possessores; ut illis quodlibet debitum non exceptum solvere possint, ac si pecunia numerata esset; vel promissio a Regia majestate facta, in horum reddi-

tuum creatione, ea scilicet redimendi, 20. annorum spatio; vel demum verba quibus hujusmodi Scripturæ constant. Quoad primum, quia licet regula juris sit, quod Debitor aliud pro alio invito Creditore solvere non possit; hæc regula fallit in multis casibus, & præcipuè cum publicum bonum, aliud expostulat. Unde etiam inferiores Judices Creditores compellunt; ut insolutionem suorum Creditorum recipiant bona mobilia, vel immobilia suorum debitorum, quando sub hasta, & publica licitatione vendi justo Pretio non potuerunt, ob Deffectum Emptorum. nec creditores ea emere pro suis creditis voluerunt; nulla ergo difficultas occurrit, ne Princeps censibus perpetuis in Regiis redditibus constitutis ex publica causa non possit elargiri privilegium, quod Judices bonis debitoris, & si immobilibus concedunt. Quoad Secundum, quia hæc promissio Nationi Hispaniæ facta est: ipsi enim interest Regium Patrimonium à pensionibus super ipsum impositis, exonerare; non verò Emptoribus harum pensionum, nulli enim eorum jus competit ad Regium Fiscum, compellendum, ad pensionem redimendam, & pretium pro ea acceptum restituendum, ut experientia compertum est. jam verò quod honestati census obstat, est, quod venditor possit ab Emptore compelli ad illum redimendum, non verò quod ad hoc ab aliis interesse habentibus, ut a Fidejussoribus, possit compelli; ut omnes Canònistæ fatentur.

Et tandem nihil verba, quibus Scripturæ constant meum Chirografum indicantia, obstant, quia verba intentioni Contrahentium debent inservire, & non intentio Contrahentium verbis debet acomodari, Porro intentio Contrahentium est inire Contractum, modo quò justè, & licite eum inire possint, modo pacta inita hoc patiantut. Rursus Regis intentio in hoc casu est, quod hi contractus intelligantur eo modo quo magis apud sub-

subditos communes esse possint, & qno magis hæ pensiones a subditis estimentur. Totum hoc consequitur, si hæ pensiones, census venditi censeantur, tunc enim ab omnibus tutò emi, & vendi possunt. quem admodum, & ceteri census; Si verò istæ pensiones non census, sed mera Chirografa censerentur, nemo posset pensionem Regiam percipere, quin usuræ reus fieret nisi, in recompensationem lucri Cessantis, vel damni emergentis, revera concurrentis cum conditionibus supra expositis eam reciperet: Unde cursus horum Chirographorum, subditorum animas miserè illaquearet, & in Infernum infeliciter detruderet; Ipsi etiam Negotiatores, qui hujusmodi Census emunt, & possident, pecuniam solum ociosam, in his emendis impendunt, eam Scilicet, quam non possunt. Quæstuosioribus negotiis agitandis occupare: Unde percipiendo has Regias pensiones, non minus rei Usuræ forent, quam ceteri subditi; quæ omnia contra piissimam, & Religiosissimam intentionem, tum Regis, tum Ministrorum esse, certum, & evidens est.

Int. Viduæ quæ in Cathalonia vigore constitutionis, quam vocant *Hac nostra* suos faciunt fructus, ex bonis Mariti Deffuncti perceptos, quoadusque ab Hæredibus sibi integrè satisfiat quantitas Marito in dotem tradita, sunt ne usurariæ?

Res. Non sunt usuræ reæ: quia 151. constitutio *hac nostra* non illis concedit fructus, ex bonis Mariti resultantes, ut pretium usus quantitatis, quam in dotem attulerunt: quam Mariti Hæredes restituere non curant; hoc enim nullæ Leges possent cohonestare, quia esset usuras approbare; Sed hi fructus ab Hæredibus auferuntur in pœnam moræ commissæ in dotis restitutione, qua de Causa, non privantur Hæredes fructibus primi anni, quem luctus vocant, ab obitu Mariti decursi, sed annorum Posteriorum. Leges enim unius anni spatium Hæredibus ad restituendam dotem concedunt, ante-

qua-

quam eorum moram aliqua pœna plectant, & hanc pœnam, vel multam, qua Hæredes puniuntur, leges ipsæ viduis applicant, & æquitate id suadente, tum quia Viduæ sunt, quæ hac mora Hæredum læduntur, tum quia Viduæ Dote exutæ, & alimentis privatæ ad vitam sustentandam possent quid indecens fortasse admittere, quod Leges hac Salubri providentia avertere intendunt, qua de causa, hæc tenuta qualificata, tribuens jus percipiendi omnes fructus, ex bonis Mariti resultantes, tantum Viduis, & earum Filiis conceditur; non vero extraneis, qui etsi doti successerint, hac tenuta qualificata minime potiuntur.

Int. Interesse Judiciale, quod a Tribunalibus Creditoribus præter summam Creditam adjudicari solet a die Litis motæ, est ne vitio usuræ infectum?

Res. Non est hoc interesse vi-
1,2. tio usuræ infectum: quia Tribunalia non adjudicant Creditoribus præfatum interesse, ut sui crediti fructum. Hoc enim esset certe usuras approbare; sed tamquam justam recompensationem, damni a Debitore sua mora creditoribus illati privando nempe eos facultate impendendi utiliter summam ipsis debitam, & quæstu ex usu dictæ quantitatis probabiliter sperato, super qua materia exigitur a Creditoribus formalis justificatio, & solum Negotiatores ab hac justificatione facienda dispensantur, ob maximas difficultates, & ambages, quæ in hac justificatione occurrerent, Quapropter Mercatoribus adjudicatur hoc interesse in quota, communi presumptione, & praxi comertii, pro indemnitatione, lucri cessantis determinata, uti Suprémus Regni Senatus in Decreto die 21. Septembris anni 1768. edito solemniter declaravit. Attamen cum præsumptio veritati cedat in foro conscientiæ non possunt Mercatores interesse judiciale in eorum favorem adjudicatum, recipere, aut retine-

nere , si lucrum interceptum , & damnum passum Debitoris mora , interesse adjudicatum revera non equet .

Int. Montes , quos vocant Pietatis sunt nè usuræ vitio infecti ?

Res. Jure quidem merito Leo
153. X. in Concilio Lateranensi ipsos licitos ; & ab usura immunes declaravit non modò cum pecunia indigentibus gratis omninò mutuo datur , & tamen ab ipsis accipitur . quando pecuniam mutuo acceptam restituunt , & pignora ad Securitatem sortis , apud montem deposita recuperant , id , quod spontanee per viam eleemosinæ ad montis conservationem offerunt ; in hoc enim casu . nulla occurrit difficultas ; sed etiam cum Mons Pietatis à Mutuatariis exigit tria . vel quatuor in centum summæ , quam ipsis mutuo elargitus est; dummodo hoc interesse solum exigatur pro indemnitate Montis , & ad solvendas expensas , quas facit in gratiam ipsorum indigentium : non vero ad montis lucrum , vel augmentum ; uti dictus Leo X. aperte declaravit in laudato Concilio Lateranensi , his verbis: declaramus, & definimus Montes Pietatis , in quibus pro eo-
„ rum impensis , & in-
„ demnitate aliquid mo-
„ deratum ad solas Mi-
„ nistrorum impensas , &
„ aliarum rerum ad illo-
„ rum Conservationem
„ pertinentium ; pro in-
„ demnitate dumtaxat
„ ultra sortem , absque
„ lucro eorundem Mon-
„ tium recipitur , nec
„ speciem mali præ se
„ ferre , nec peccandi in-
„ centivum præstare, nec
„ ullo pacto improbari ; quinimò meritorium esse . in his enim circumstantiis nulla ratio adduci potest , quæ hos Montes usuræ suspectos faciat : quia si amicus longe a me dissitus litteris a me peteret certam mutuo quantitatem , quam deberem illi mittere , homine ad hoc conducto , possem ab amico licitè , & absque usura petere non modo quantitatem traditam , sed etiam mercedem persolutam homini , qui eam illi attulit . eodem ergo modo possunt Montes Pietatis , absque

sque usuræ vitio petere ab indigentibus, non solum quantitates mutuo traditas. sed etiam expensas, quas ad eorum utilitatem faciunt, in sustentatione Ministrorum, Domus conductione, & aliarum similium.

Int. Possunt nè Ministri, & Administratores Montium Pietatis recipere deposita pecuniarum ad lucrum unius, vel duorum in centum ad annum ad hoc, ut his pecuniis in depositum hoc modo acceptis, possint majorem indigentium numerum, mutuo dato subvenire?

Res. 154. Non possunt Administratores Montium hæc deposita recipere, quin in usuram Consentiant, eamque facto ipso approbent; quia ista non sunt vera deposita, quibus pecunia deponatur in Monte, ad hoc, ut Mons eam mutuo dando, indigentiæ Pauperum subveniat. sed sunt contractus mutui dati ad usuram parvam, ut duo, incentum Unde Contractus isti lege naturali, & Divina damnati sunt.

Int. Peccant nè, qui contractibus usurariis cooperantur?

Res. 155. Certissimè peccant, & ad restitutionem tenentur præcipuè, qui hos contractus consulunt, illos ineunt, ut Proxenetæ qui accessiones sortis, seu usuras exigunt, Notarii, qui instrumenta contractuum usurariorum Conficiunt & præcipuè Judices, qui sua Publica Auctoritate contractus fœneratitios approbant. Ministros autem inferiores, qui solum pecunias numerant, & alia remotè in injustitiam influentia faciunt, aliqui Auctores ab onere restitutionis, & a peccato excusant: Alii ex adverso omnes istos peccare affirmant, & aliquando ad restitutionem teneri. Ad praxim verò, quod attinet, cum nullus sit his præsertim locis, qui fœnus se exercere fateatur: sed omnes prætendant accessiones sortis exigere, non vi mutui, sed vi titulorum lucri cessantis, & damni emergentis: Si Ministri Inferiores ignorant, utrum re verà hi tituli concurrant, nec nè, possunt in Ministerio perseverare, quia nemo præsu-

sumitur malus, nisi probetur. Si verò vehementer suspicantur Dominos re verà dictis titulis esse destitutos, & hos titulos nihil aliúd esse, quam prætextus ad usuras palliandas; ab iis inserviendis in his rebus abstinere debent; & ab eorum Domibus recedere: alias peccabunt, usuris Dominorum cooperando.

Int. Qui ab Usurariis mutuum petunt sub usuris, cooperantut nè illorum peccatis?

Res. Certissimum est peccati
156. usuræ Complices fieri, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. Ques. 78. art. 4. quia non licet aliquem ad peccandum inducere: solum licet ut ibidem Angelicus advertit, mutuum absolute accipere sub usuris ab eo qui paratus est mutuum sub usura dare propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius quia tantum placet ei tunc casus mutuum accipere quod officium Charitatis est r quodqne petere licet. Quod vero mutuator nolit absque usura mutuum impertiri, illius nequitia est; quare offerre usuras nemini unquam licet, sed solum mutuum petere, ut mutuo possis tuæ, vel alienæ necessitati subvenire. Non igitur ad negotiationem amplificandam; non ad majora lucra captanda, sed solum ob veram, & gravem necessitatem, quæ reparari aliâ via non potest, licitum est mutuum petè re, & usuras petitas ab usurariis solvere. Proxenetæ ergo, qui pecunias ab aliis solicitant sub usuris, vel cessiones chirografornm offerunt pro minori pretio, quam valent; Usurariorum peccatis cooperantur: Similiter Mercatores, qui usuras pendunt Viduis, Nobilibus, et aliis Personis, à quibus pecuniam mutuo acceperunt, graviter peccant, quamdiu hos contractus non rescindunt, & pecuniam acceptam non restituunt. Etsi ad hoc necesse sit negotiationem minuere, vel societatem, & alios contractus ipsis forte minus utiles inire. Necessitas ergo illa gràvis, quæ lici-

licitnm facit non petere ; sed accipere mutuum sub usura , rarissimè occurrit ; & quando re verà occurrit non durat , sed temporis decursu , alia via reparari potest , si Negotiator quæstum , & negotiationem minuere velit , vel media negotia agitandi variare; mutuum ergo sub usura accipiunt & retinent Mercatores , quia ipsis magis placet pecunia ad usuram accepta liberè negotia agitare , quam societatem cum aliis inire , ad rationem sociis reddendam se obstringere , libros negotiationis formare in illis , quæ occurrunt exactè scribere , & consensum Sociorum in multis exquirere , ut leges Societatis ferunt . Quapropter Hispaniæ Leges eadem pœna plectunt Mercatores , qui ad usuram pecuniam recipiunt , ac ipsos usurarios ut constat ex lege 15. numero 13. transcripta .

Int. Quomodo possumus os obturare , iis , qui in vulgus spargunt actum esse de comercio , si non permittatur exigi lucrum , ex pecunia mutuo data Mercatoribus ad negotiationem ?

Res. 157. Possumus iis os obturare, 1. Sacri Eloquii auctoritatem ipsis objiciendo : Sacra enim Scriptura testatur , *quod justitia elevat Gentem* ; *miseros autem facit Populos peccatum* . Sic respondet huic querellæ Benedictus XIV. in constitutione , *vix pervenit* , ut numero 34. dictum est ; 2. ipsis objiciendo Concilii Lugdunensis auctoritatem , quod testatur disertissimè usurarum crimen , & animas devorare , & facultates exaurire : 3 contra ipsos adducendo leges tum Catholicorum Hispaniæ Regum , tum aliorum Principum Christianorum , qui usuras quascumque insectati sunt , tamquam Populorum pestem , & totiuis Republicæ ruinam , & demum etiam naturali ratione ipsos convellere possumus ; pecunia enim ad usuram data , seipsa non crescit , sicut arbores , quæ in Silvis nascuntur ; Sed totum istius pecuniæ augmentum, provenit ab industria Mutuatarii , qui eam quæstuosis agitandis negotiis , suo labore

bore impendit . Quærere igitur utrum usurarum toletantia prossit , vel obsit incremento Comertii , est quærere utrum ad comertii commune bonum magis conducat, quod homines pecunia abundantes eam suo periculo negotiationi exponant societatem cum mercatoribus ineundo , aut negotia gerendo per se ipsos , aut conducta ad hoc opera alicujus Personæ , artis negotiatoriæ peritæ , vel potius , quod homines pecunia abundantes , eam ad usuram dent Negotiatoribus , qui ea ad negotia agitanda carent , ut eam suo periculo negotiationi impendant . Huc recidit tota hæc quæstio . Et quis erit mercaturæ , & mercatorum indolis non omninò ignarus , qui illicò Problema non resolvat in favorem Comercii. propria pecunia Mercatorum agitari ? Negotiatores enim , qui alliena pecunia ad usuram accepta , negotia suo periculo peragunt , necessario acceptas pecunias paulatim absument , & ad inopiam vergent . Quia Quæstus ex negotiatione reportatus non adeo pinguis est , ut ad usuras pendendas , & ad familiam mercatorum civiliter alendam possit sufficère ; & cum negotiatio non semper bene succedat , & aliquandò Negotiatores , & si habilissimi , ex ea non lucrum , sed damnum reportent. Negotiatores, qui pecunia aliena negotia peragunt, nullo modo possunt hæc damna reparare ; conantur tamen quantum possunt hæc damna occultare , nè fœneratores eorum conscii pecuniam fœnebrem repetant , & citius ad defectionem impellant . Qua propter ad hæc damna occultanda , cujusvis generis contractus ineunt fraudes innumeras committunt, & tandem cum multorum damno , fidem publice fallunt . Hi sunt Usurarum fructus . Cum vero illi , qui maritimam vitam agunt . & qui usuris maritimis sua negotia agitant , sint ordinarie pauperiores , gravioribus usuris onerentur , & negotia maritima , quibus incumbunt , majoribus periculis sint obnoxia , luctuosiores effectus ex usuris experiuo-

riuntur. Non pauci Navarchi cambiis Maritimis oppreisi spontè navem inimicis ttadiderunt, alii ad Naufragium eam spontè impulerunt, ut hoc modo à Creditoribus Cambiorum liberarentur: alii tum nautæ, tum navium rectores, qui merces in Americam transferendas pecunia usuris maritimis accepta emerunt, cum animadvertissent pretium ex mercibus in America venditis, consecutum, non sufficere ad cambia maritima persolvenda, timore perculsi, nè si redirent in Europam, ad Creditorum instantiam Carceribus manciparentur, quoad cambia maritima persolverent. uxore, & filiis relictis, exules Patriæ facti, in alias Nationes fugerunt. Unde totus familiæ luctus, & alia innumerabilia mala in Rempublicam promanarunt: Neque aliter res evenire potest; velle enim à periculis negotiationis securos reddere Divites, quorum pecunia comertia agitantur, & velle hæc negotiationis pericula reiicere in pauperes, & inopes, qui mediis ad reparanda damna in negotiatione contingentia sunt penitus destituti, est rerum naturalem ordinem subvertere, ex qua subversione innumera mala in comertium, & Rempublicam universam promanare necesse est. Quotidiana experientia hæc confirmata videmus: in locis enim maritimis, in quibus Bellum apertum usuris, tum terrestribus tum maritimis indictum est; & Navarchis, & nautis accipere Cambia maritima strictè prohibitum. Floret equitas, justitia, bona fides, & commercium, tum maritimum, tum Terrestre quotidie augetur. In aliis verò locis, in quibus usuræ liberè vagantur; fœneratores, qui nomen mercatorum falsò audiunt, re verà pecunia abundant; ceteri vero miserimè languent, usuris oppressa: Unde in his locis nihil exauditur, nisi litium strepitus, & Familiarum luctus, ut adductis exemplis practicis, possemus comprobare. Asserere: ergo tolerantiam usurarum, conducere ad comercii incrementum, non modò ma-

ni-

nifesta impietas, sed etiam species dementiæ est

Int. Qui Contractus usurarios celebrarunt, existimantes licitos esse, possunt ne lucrum ex his perceptum retinere, hoc nomine, quod si scivissent hos contractus fæneratitios fore, alios honestos inire potuissent, ex quibus æquale lucrum reportassent?

Res. 158. Minimè hoc facere possunt, ut docet Benedictus XIV. in Encyclica citata num. 27. his verbis: „ Quarto loco vos hortamur, nè aditum relinquatis ineptis eorum „ sermonibus, qui dictitant de Usuris hoc tempore quæstionem instituì, quæ solo nomine contineatur, cum „ ex pecunia, quæ quælibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur: Etenim quam falsum id „ sit, & a veritate alienum, planè deprehendemus, si perpendamus „ naturam unius contractus, ab alterius natura prorsus diversam, & „ seiunctam esse, & ea „ pariter discrepare magnoperè inter sè, quæ „ a diversis inter sè contractibus consequuntur. „ Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jurè licitè ex pecunia desumitur; ideoque potest in utroque foro retineri; & fructum qui ex pecunia illicitè conciliatur; ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Cum ergo fructus, qui ex contractu fæneratitio percipitur, illicitè percipiatur, utriusque fori judicio, teste Benedicto 14. restituendus est, licet pecunia in hoc contractu collocata potuisset in alio contractu licito collocari; aliter tota doctrina, quam hic Pontifex tradidit non modo inutilis, sed & falsa esset. Præterea, qui pecuniam mutuo tradiderunt Mercatoribus ad negotiationem, alium contractum cum eis regulariter inire non poterant, nisi societatis supposito, quod Mercatores prædiis liberis, & fructiferis regulariter careant ad census perpetuos super his constituendos; & quod Fæneratores contractus census perpetui inire recusent, ut omnibus compertum est. Jam verò

stat egerrime Negotiatores in societatem consentire, ne rationes negotiationis sociis reddere debeant; quæ occurrunt exactè in libris scribere; secreta comertii aperire; & aliis multis vinculis subjici, contractus societatis propriis: Unde hæc excusatio Usurariorum falsa omnino est; ac propterea ad retinendum lucrum ex contractu Fæneratitio perceptum, omnino necesse est quod condonationem a Negotiatore obtineant, quæ condonatio ut libera sit, debet fieri postquam contractum Fæneratitium resciderunt.

Int. Quæ sunt Usurariorum pœnæ?

Res. In publicos Fœneratores, 159. variæ sunt pœnæ jure Canonico impositæ: attamen in hac Tarraconensi Provincia omnes Fœneratores sive sint Publici, sive sint occulti majori excommunicatione innodantur, Constitutionibus Tarraconensibus de Præcepto publicandis in quatuor anni Festis majoribus; & in hac Barcinonensi Diœcesi reservatum est peccatum eorum, qui contractus illicitos, & usurarios faciunt.

Hæc sunt (Benevoli Lectores) quæ mihi in animo proposui de mutuo, & usura scribere. Brevitati studens ut vestro labori, & expensis parcerem, non curavi respondere omnibus objectionibus, quæ adversus mea asserta a vividis ingeniis efformari possunt; sed solum iis, quæ mihi difficiliores, & fortiores visæ sunt; si tamen Doctrinam in hoc opusculo contentam rectè percipitis, facili negotio quascumque objectiones, quæ contra præfata asserta effotmentur, disolvere poteritis.

Deum igitur O. M, enixe exoro, ut celeste lumen omnibus, qui audiendis Fidelium Confessionibus incumbimus infundere dignetur, ut usuræ peccatum qnod ut ait Benedic. XIV. in toties memorata Encyclica n. 13. *varias formas, atque speeies induit ut Fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam precipites impellat*, cognoscere valeamus, ab eoque perpetrando (Deo adjuvante) Fideles averterc possimus, & per viam veritatis, quæ una

una est, tuto ad Cælum dirigere, ut Cælestem Patriam omnes Divina Bonitate ingressi, Deum intuitivè videre, eum ardentissimè amare, & innenarabili gaudio exultantes, cum Sanctis Angelis Divinas laudes præcinere in æternum valeamus Amen.

APPENDICE

A qui se transcribiran las constitutiones Pontificias sobre usuras de Pio V. Sixto V. y Benedicto XIV. como se citan eneste tratado.

LEy 1. tit. 6. de las usuras, y logros: Porque, se halla, que el logro es muy gran pecado, y vedado assi en la ley de natura, como en la escrita, y de gracia, y cosa, que pessa mucho à Dios, y porque vienen daños, y tribulationes à los Fieles do se usan, y consentirlo, y Juzgarlo, y mandarlo entregar es muy gran pecado, y sin esto es gran quebrantamiento de los algos y de los bienes de los Moradores de la tierra de su uso, y como quiera, que hasta aqui, de algun tiempo acà fuè usado especialmente por Judios y no estranado como debia: Nos para sesvir à Dios, y guardar en esto nuestra Anima como debemos, y por quitar los daños, que por esta razon vienen à nuestros Pueblos, y à las nuestras tierras tenemos por bien, y mandamos, y defendemos, que de aqui adelante ningun Iudio, ni Judia, ni Moro, ni Mora sea ossado de darà logro pos si, ni por otro: y todas las cartas, y Fueros, y privilegios, que les Fueron dados hasta aqui, porque les fuè consentido de dar a logro en ciertas maneras, y haber Alcaldes, y Entregadores, en esta razon nos lo tinamos, y revocamos, y damos por ninguno con consejo de nuesta Córte, y Demas man-

damos, y Rogamos à Todos los-Prelados de nuestro Señorio, que pongan Sententia de Excomunion en qualquiera que contra de esto fuere, y denunciemlas que estan puestas.

Lei 4. del mismo tit. La Codicia, que es la raíz de todos los males, de tal manera ciega los Corazones de los codiciosos, que no temiendo a Dios, ni habiendo verguenza à los hombres, desvergonzadamente dan à usuras, en mui gran peligro de sus animas y daño de nuestros Pueblos. Y Porende mandamos, que qualquiera Christiano, o Christiana de qualquiera estado, o Condicion, que sea, que diere a *usura que pierda todo loque diere, ò prestare y que sea de aquel, que recibiere el emprestito.* y pague otro tanto como fuere la quantia, que diere a logro, la tercera parte para el Acusador, y las dos partes para la nuestra Camara.

Lei 5. del proprio tit. Como quiera que por derecho Divino, y humano las usuras estan defendidas sò grandes penas, pero esto no basta para refrenar los logros, y la codicia, con que se mueben los que las exercitan para adquirir los bienes agenos por exquisitas, y malas maneras; y porque las penas, que por las leyes, y Ordenanzas de nuestros Reinos estan estatuidas contra los logreros son diversas, declarando las dichas leyes, mandamos, que qualquiera Christiano, que diere à usuras, *ò hiciere qualesquier contratos en fraude de las usuras*, que cayga, è incurra en las penas, que en las dichas leyes, y Ordenanzas son contenidas, de las quales la suerte principal sea para la parte contra quien se exercitaren las Usuras como dispone la ley precedente.

Lex 22. Cod. Mandati: per diversas interpellationes ad nos factas comperimus quosdam alienis rebus, fortunis que inhiantes cessiones aliis competentium actionum in semet exponi properare, hocque modo diversis Personas litigatorum vexationibus afficere: Cum certum sit pro indubitatis obligationibus eos magis, quibus antea suppetebant (jura) sua vindicare, quam ad alios ea-

tran-

transferre velle : Per hanc igitur legem jubemus inposterum hujusmodi conamen inhiberi . . ita tamen ut si quis datis pecuniis hujusmodi subierit cessionem usque ad ipsam tantummodò solutarum pecuniarum quantitatem & usurarum, ejus actiones exercere permittatur, licet instrumentò Cessionis, venditionis nomen incertum sit. Exceptis scilicet cessionibus, quas inter coheredes pro actionibus hereditariis fieri contingit . . , Si autem per donationem cessio facta est, sciant omnes hujusmodi legi locum non esse.

Lex ejusdem tituli ab Anastasio : Sancimus nulli licere partem quidem debiti cedere pecuniis exceptis, & venditione actionum habita ; partem autem donationis titulo videri tranferre . . . . §. 1. Si quis autem occultè aliud quidem agere conatur, & pecunias pro parte accipit, & vendit particulatim actiones, partem autem donare simulat, vel ipsi, emptionem actionis (partim) subit, vel forsitan alii per suppositam personam (quia & hoc sepius perpetratum esse didicimus) hujusmodi machinationem penitus amputamus, ut nihil amplius accipiat, quam ipse vero contractu re ipsa persolvit Sed omne quod superfluum est, & per figuratam donationem translatum est inutile esse ex utraque parte censemus : & neque ei qui cessit actiones, neque ei, qui eas suscipere curavit, aliquid lucri, vel fieri, vel remanere, vel aliquid contra debitorem, vel res ad eum pertinentes esse utrique eorum actionem.

Lex 1. de Nautico Fœnore : Trajectitia ea pecunia est, quæ trans mare vehitur, cæterum si eodem loci consumatur, non erit trajectitia. Sed videndum an merces ex ea pecunia comparatæ in ea causa habeantur? Et interest utrum etiam ipso periculo Creditoris navigent : tunc enim trajectitia pecunia fit. Lex 6. ejusdem tituli : Fœnerator pecuniam usuris maritimis mutuam dando, quasdam merces in Nave pignori accepit, ex quibus si non potuisset totum debitum exolvi aliarum mercium aliis Navi-

bus Impositarum, propriisque Fœneratoribus obligatarum si quid superfuisset pignori accepit, quæsitum est Nave propria perempta, ex qua totum solvi potuit, an id damnum ad Creditorem pertineat inter præstitutos dies amissa nave? An ad cæteratum navium superfluum admitti possit? Respondi alias quidem pignoris diminutio ad damnum debitoris non Creditoris pertinet, sed cum trajectitia pecunia ita datur, ut non alias petitio ejus Creditori competat, quam si salva navis intra statuta tempora pervenerit, ipsius Crediti obligatio, non existente conditione defecisse videtur; & ideo pignorum quoque persecutio perempta est, etiam eorum, quæ non sunt amissa.

Lex 7. ejusdem tit. In quibusdam contractibus usuræ debentur, quemadmodum per stipulationem. Nam si dedero decem trajectitia ut salva nave sortem cum certis usuris recipiam, dicendum est, posse me sortem cum usuris recipere,

Be-

Reformatis contractuum de annuis censibus creandis, alienandis, & redimendis. Et declaratio quarundam dubitationum desuper exortarum.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm onus Apostolicæ servitutis obeuntes cognoverimus, innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites a nostris Antecessoribus eisdem contractibus Statutos, verum etiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum præseferunt, non potuimus animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, lætiferoque veneno salutari antidoto non moderari.

Causæ hujus reformationis

§. 1. Hac igitur nostra Constitutione statuimus, censum seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.

Census creandus est supra certa re immobili fructifera.

§. 2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario, & in acta celebrationis instrumenti, non autem prius, rececepto integro justoque pretio.

Et cum pecunia numerata.

§. 3. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci prohibemus.

Solutiones anticipatæ prohibentur.

§. 4. Conventiones directe aut indirecte obligantes ad casus fortuitos cum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

Oneraque contra naturam contractus.

Et pacta auferentia facultatem alienandi.

§. 5. Quemadmodum nec pactum auferens aut restringens facultatem alienandi, rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, & libere, ac sine solutione laudeminii, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

In revendenda præfertur dominus census.

§. 6. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari.

Pacta contra morosos quæ licita & quæ nos.

§. 7. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem censui subiectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, et nulla.

Census augeri vel creari non potest de fructibus.

§. 8. Immo, & census augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut alterius personæ per eum suppositæ pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

Onera extranea non prohibentur.

§. 9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutionem onerum ad eum spectare, ad quem alias de Jure, & ex natura contractus non spectarent.

Census perit pro rata rei consuetæ Perempte.

§. 10. Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte peremptа, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum præscriptione, Non obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clausulis concepta sint.

Redimi quando possit.

§. 11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denun-

nuntiari ei cui pretium dandum erit, & post denuntiam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihil-ominus quandocumque redditum extingui posse, prævia tamen semper denuncia, de qua supra. Idque observari mandamus etiam quod pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec umquam effectus secutus fuisset.

Repeti ab invito non licet.

§. 12. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum, ab invito aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus.

Contractus aliter initi fœneratitiju dicantur, & pœna fisco solvitur.

§. 13. Contractusque sub alia forma post hac celebrandos fœneratitios judicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quicquid, vel expresse, vel tacite contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vendicari,

Hæc Bulla quos census excipiat.

§. 14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter creando, verum etiam increato quocumque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus servari volumus.

Pretium constitutum non immutandum.

§. 15. Declarantes pretium semel censui constitutum nunquam posse, ob temporum, aut contrahentium qualitatem seu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes, minui vel augeri.

Hortatio ut census aliter facti subiiciantur censuræ Religiosorum.

§. 16. Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subiiciant, & animarum saluti consulant.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus, quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, nec non privilegiis, & literis etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos sub quibuscumque

te

tenore, & formis ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis; nec non irritantibus decretis, ex quavis causa, etiam per modum legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum, & locorum concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte præsenti nostræ constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Juſſio publicandi, & describendi.

§. 18. Volumus autem quod præsentes in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

§. 19. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca defferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnales.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, annullationis, statuti mandati, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eum se noverit incursurum,

D. P. An. IV. 19. Januarii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto decimo Kal. Februarii Pont. Nostri Anno IV.

Dam-

Damnatio contractuum Societatis securitatem capitulis aut certam responsionem aut aliter usurariam pravitatem continentium.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Compendium pactorum illicitorum quæ in contractibus Societatum apponi contingit.

DEtestabilis avaritiæ ingluvies, et insatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix usque adeo excæcat mortalium mentes, ut multi nimis avide lucro inhiantes, in laqueos & insidias diaboli misere incidant; irrepit enim versute, & callide antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines quæstus dulcedine captos, & delinitos opprimit, atque eo perducit, ut se ipsos in usurarum voraginem Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam, & Christianæ caritati contrariam fæde immergant, & dum vanas, & terrenas divitias quærunt, veras, ac celestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum in quasdam Provincias pervasisse. Nam multi speciosum, & honestum societatis nomen, suis fæneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore, & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis super eorum mercibus, officinis, tabernis, panariis, aliisque rebus, ac bonis, pecunias suas, aut alias res, societatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem sive ad soccidam, ut vocant, ea conditione, ut sors ipsa seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pe-

ce-

cuniarum, quam animalium, et rerum salvum semper, & integrum existat, pro eo, qui non industriam, aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in societatem confert, utque omne periculum, & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem, & societatis justitiam diversimode paciscuntur; eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, suoque labore, & industria victitantes ad sortem, seu capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam, certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos, aut menses per alterum socium, durante societate solvendam, præfiniunt, ac præscribunt; eamque summam, & quantitatem non subductis rationibus accepti, & expensi, quod in codices, seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo, pro ipsius lucri, vel damni modo variabilem, sed laborem, & curam computandi, & calculandi se invicem remittere, & renuntiare asserentes, quovis tempore certam constituunt.

Damnatio illicitarum pactionum in societatibus apponendarum.

§. 1. Proinde nos, qui hoc potissimum munus, nostræque pastoralis solicitudinis maxime proprium arbitramur, ut Gregem Dominicum fidei nostræ creditum ab omni offensione, & eternæ vitæ discrimine tutum in via salutis, celesti gratia adiutrice, dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum Deo favente possumus, tollere cupientes, de attributæ Nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis, pecunias animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum,

num, aut ammisionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones, usurarios, & illicitos posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter se pascisci, & concordare; neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios qui ea recipient, ad sortem seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cetero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus.

Forma Societatum de cetero contrahendarum

§. 2. Sed potius cuncti noverint Societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, Animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam vel industriam confert, pure, sincere, & bona fide sicut pactis, secundum juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut Suspicione, ineundas, seu contrahendas esse; ita ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut prefertur immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad Capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si vero finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter, inter ipsos contrahentes, super eo legitime conventum sit. Ac præterea iidem contrahentes, fructus, expensas, & damna in commune conferant, ut prout æquum, & iustum fuerit, sibi communicent, atque dividant.

De-

§. 3. Decernentes, siqui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra nostram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis tamquam per hanc eandem constitutionem nostram, damnatis, & reprobatis, etiamsi juramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel alias quomodo libet roborati fuerint, obligationem Civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, aut judicis Officium, neque aliud quodqumque jus cuiquam competere, neque quo ad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas.

Clausulæde rogatoriæ

§. 4. Si quis vero inposterum sub prædictis condictionibus, & pactis contrahere temere præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactionum societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem, dictæ sortis, seu Capitalis, sive illius pretii, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ, vel quantitates annuæ aut menstruæ sibi promissæ in futurum, procedere ausi fuerint, eos universos, & singulos in pœnas contra manifestos usurarios & fœneratores, a Sacris Canonibus, & conciliis generalibus latas & promulgatas, eo ipso, incurrere, & contra illos, uti manifestos usurarios, & Feneratores, via juris, aliisque opportunis remediis procedi posse, & debere.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & ita quoad premissa universa, & singula per quoscumque judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, nec non irritum, & inane, si se-

secus super his per quosquumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Mandamus vero universis, & singulis locorum Ordinariis, per quasqumque Provincias, & Regna Christiani orbis constitutis, & quibusvis nostris, & sedis Apostolicæ, etiam de latere Legatis, ac Vicelegatis, ceterisque Officialibus, præsertim Provinciarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici, ut in suis quisque Civitatibus, Diœcesibus, Provinciis, & locis præsentem nostram constitutionem publicari, & inviolate observari curent, & contra personas, quæ in futurum, preter, & contra prohibitionem hanc nostram pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tanquam publicos usurarios, & fœneratores per viam accusationis, vel denuntiationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque, culpabiles repertos condignis pœnis, ut supra dictum est, afficiant; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis. Deputatio & facultates executorum hujus canit.

§. 7. Non obstantibus quarumcumque civitatum, Provinciarum, & locorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quorumcumque tenorum existant sive per modum constitutionis, & legis perpetuæ quommodolibet concessis, etiam sepius approbatis, & innovatis, quæ omnia nolumus cuiquam de cetero suffragari. Jussio publicanti hanc Bullam.

§. 8. Ut autem presentes literæ ad omnium notiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus, ut illæ in Valuis Basilicarum Principis Apostolorum de urbe, & Sancti Joannis Lateranen. & Cancellariæ Apostolicæ, atque in Acie Campi Floræ, per aliquem ex nostris Cursoribus de more publicentur, dimissis, & affixis earum exemplis in acie, & valuis prædictis.

Ea-

Fides transumprorum. D.P. An. 11. 21. Octobris.

§. 9. Earumque transumptis etiam impressis &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo sexto decimo secundo Kalendas Novembris Pontificatus Nostri Anno II.

DE USURIS ALIISQUE INJUSTIS QUÆSTIBUS.

Venerabilibus Fratribus Patriarchus Archiepiscopis, Episcopis, Et Ordinariis Italiae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Et noxæ sententiæ disseminantur.

VIX pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debaet) non nullas per Italiam deseminari sententias, quæ Sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Pontifex deliberat cum consilio &c.

§. 1. Quapropter eam rationem, consilium que suscepimus, quo sedes Apostolicam semper uti consuevit: quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ scientia, & Canonicæ Disciplinæ studio ac peritia pluri-

rimum commendantur : Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex ordine mendicantium alios demùm ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque juris utriusque laureâ præditum & in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus julii, qui nuper præteriit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus, quod illis antea cognitum, perspectumque deprehendimus.

Doctrinam de usures exponi jubet

§. 2. Post hæc præcepimus, ut omni Partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt : Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 13. julii altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Canones

§. 3. Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

Usura lucrum supra sortem ex mutuo

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.

Qualites lucri vel qualitas mutuatarii lucrum ujusmodi ab usuræ labe non liberant

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum

lum arcersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium sed moderatum; non magnum sed exiguum sit; vel ex eo quod, is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives, existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissimè sit impensurus. Contra mutui si quidem legem, quæ necessario in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis eàdem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam, & Sanctè servare, & non servatam exactè reparare.

Quidam Tituli vel contractus a mutuo diversi iustum reddere proventum ultra sortem.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos, & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam ritè exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, rectè collocari, & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

Vitandi tamen excessus contra justitiam.

IV. Quemadmodum verò in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quàm palliatum absit) at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur, & ad justitiæ libram exigantur, dubi-

bitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus, & ratio suppetat humana commercia; & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus, quod *Iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

Nec tituli legitimi cum murno nec justæ causæ incundi contractus a mutuo diversos ubique suppetunt.

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, & non nisi temerè persuasurum reperisi semper, ac presto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel seeluso, etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo Divinis documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente. Volenti mutuari a te, ne avertaris: & quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, verè ne cum mutuo justus alius titulus; verè ne justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

Pontifex relata doctrinam probat.

§. 4. His verbis complectuntur & explicant sententias suas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritissimi, quorum Consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eandem causam

non prætermissimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsis etiam peractis; Nam præstantium Virorum suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint, adprobamus & confirmamus quæcumque in sententiis superius expositis continentur; cum scriptores planè omnes, Theologiæ, & canonum Professores, plura Sacrarum literarum testimonia, Pontificum Decessorum Nostrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissimè cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur. Neque ignoramus quanta sapientia, & gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

Eamque doceri & servari jubet.

§. 5. Quare has literas Encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut hæc tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innotescerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque Sacris Doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas superiùs recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diœcesibus audeat Literis, aut sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & subjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint, ac violaverint.

De peculiaribus contractibus nihil nunc decernit.

§. 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia Statuimus: Nihil etiam decernimus modò de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum interpetres in diversas abeunt Sententias; Attamen pietatis vestræ studium ac Religionem inflammandam exi-

existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

§. 7. Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem, ac vitium a Divinis Literis vehementer improbari. Illud quidem varias formas, atque species induere, ut fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem,& gratiam, rursus in extremam ruinam precipites impellat; Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum, fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

Usuram & Avaritiam caveri; Sapientum Consilia exquisii admonet.

§. 8. Secundo loco: qui viribus suis ac Sapientia ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & canonum scientiam requirunt;) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longè se abstineant: etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, & cum usura conjunctam: Contra verò nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodqumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant: Sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur. Deinde eas partes Suscipiant, quas cum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam Sequentur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si presertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minimè careat; Siquidem convincia, atque injuriæ vinculum Christianæ Charitatis infringunt, & gravissimam Populo offensionem, & Scandalum præseferunt.

Consultes cante promutiare, dissentientes modeate agere jubet.

§. 9.

Contractuum naturam & conditiones aperiri suadet.

§. 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum anteà declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent: Hæc magnopere conferunt non modò ad animi sollicitudinem & scrupolos evitandos, sed ad ipsum contractum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clarè pateat, utrum pecunia, quæ ritè data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Temeraria dicteria comprimi mandat.

§. 10. Quarto loco vos hortamur ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quæ qualibetratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam, & sejunctam esse; Et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ à diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in uttroque Foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicitè conciliatur, ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Præsentium executionem Episcopis commandat.

§. 11. Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore ut mandetis executioni quæcumque per has Literas a Nobis præscribuntur: Opportunis quoque remediis consultis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam

siam in Diæcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ Doctrine candorem, & puritatem inducantur : Postremo vobis, & Gregi curæ vestræ concredito, Apostolicam Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die prima Novembris MDCCXLV.
Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F I N I S.

De mandato Rmi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici legi opus, cui titulus : *Tractatus de mutuo, et usura, et de contractibus* : à R. P. Eudaldo Corriolo J. C. Doctore : illudque reperi sanæ fidei doctrinæ, Christianis morum regulis, summorumque Pontificum Bullis apprimè conforme : unde dignum Judico, ut typis mandetur, & publicetur.

Romæ in Conventu S. Mariæ Supa Minervam die 30. Novembris anni 1792.

F. Benedictus Peñarrubia Ordinis prædicarum : Theologus Casanatensis.

Cum de mandato Rñi Patris Magistri S.ti Palatii Apostolici percurrerim opus, cui titulus: *Tractatus de mutuo, et de usura, et de contractibus.* àR.P. Eudaldo Corrioli J.C., cumque hujusmodi opus saniori Doctrine, parique erudictione elucubratum sit ac ad rem Summorum Poutificum Bullis instructum, ac illustratum, hinc censeo illud immune esse a quolibet vitio, quodmorem, aut Religionem Cædere possit; ideoque non modo utile, sed necessarium arbitror, ut typis mandetur, vulgetur, & Perlegatur.

Romæ ex ædibus S. Mariæ trans Pontem die 27. Novembris 1792.

Fr. Joannes Baptista Onesti Definitor Perpetuus, Magister, & doctor Ordinis Carmelitarum, examinator Apostolicus Cleri Romani, & Sixtini Pontificii Collegii S. Bonaventuræ de Urbe, ac Censor Academiæ theologicæ in Archigymnasio Romano. &c. &c.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rñi. Patr. Sacr. Palat. Apst. Magist.

F. X. Passeri Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Th. Vincentius Pani O. P. Rñi. P. M. S. P. A. Magister.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 3. linea 11. pertranctantes	pertractantes
p. 3. liu. 13. repettendis	repetendis
p. 4. lin. 13. honestate	cohonestare
p. 7. liu. 3 mutuatio	mutuatario
p. 7. lin. 14 asumpsent	assumpserit
p. 9. lin. 11. Eæ	ea
p. 11. lin. 18. indicantut	indicantur.
Pag. 15 col. 2. linea 11. mutri	mutui
p. 15 col. 2. lin. 38 testet	testatur
p. 16 col. 1. lin. 36. escutatur	excusatur
p. 21. col. 1 liu. 10. nullis	nullius
p. 22 col. 1. lin. 15. bendatur	vendatur
p. 22. col. 1. lin. 15 bendatur	vendatur
p. 23. col. 2. lin. 18. Ezequielis	Ezechielis
p. 23. col. 2. lin. 21. Ezequielis	Ezechielis
p. 26. col. 1. lin. 35. minibus	hominibus
p. 31. col. 2. lin. 4. pascuutur	pascuntur
p. 34 col. 1. lin. 39. Consuica	Consules
p. 38. col. 1. lin. 36. posset	posse
p. 42. col. 1. lin. 32. subptilis	snbtilis
p. 46. col. 2 lin. 32. ratiosie	ratione
p. 49. col. 2. lin. 7. comertio	Commercio
p. 57. col. 2 lin. 7. quæ	quas
p. 67. col. 2. lin. 31. creditom	Creditoris
p. 72. col. 2. lin. 24. calidi	callidi
p. 78 col. 2. lin. 3. uso	usu
p. 78 col. 2. lin. 5. cerceri	coercere
p. 78. col. 2. lin 29. deret	debet
p. 79. col. 2. lin. 8. hæ	hæc
p. 80. col. 1. lin. 31. circumrestium	circumvestitum
p. 81. col. 1. lin. 2. tradendi	tradenti
p. 86. col. 2. lin. 18. Batcinonem	Barcinonem
p. 89. col. 2 lin. 14. stimabilia	Æstimabilia
p. 90. col. 2. lin. 33. ristæ	vitæ
p. 93. col. 1. lin. 9. censns	census
p. 102. col. 2. lin. 7. ilben	liberi
p. 102. col. 2. lin. 34. ususantes	usurarius
p. 102. col. 2 liu. 3. Peccipi	percipi
p. 106. col. 1. lin. 3. multam	mulctam
p. 110. col. 1. lin. 6. atia	alia
p. 110. col. 2. lin. 27. totiris	totius
p. 112. col. 1. lin. 3. oppreisi	oppressi
p. 112. col. 2. lin. 8. duplicam	publicam
p. 119. col. 2. lin. 3. esortatum	exortarum
p. 123. col. 2. lin. 2. Capitulis	capitalis
p. 128. col. 2. lin. 9. Patrarchus	Patriarchis
p. 128 col. 2. lin. 27. Apostolitam	Apostolica
p 133. col. 2. lin. 36. convincia	convicia
p. 136. col. 2 lin. 5. Doctrinæ	doctrina
p 136 col. 2. lin. 8. quodmorem	quod mores
p. 136. col. 2. lin. 8. cædere	lædere

HB
535
C67

Corriols, Eudaldo
Tractatus de mutuo et usura et de contractibus

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY